




2
6
457









DE BALNEIS SANCTI CASSIANI

Tractatus tres in partes distribuitus.

Victorio Mannio Senensi Philosopho, ac Medico Auctore.

AD SERENISSIMAM PRINCIPEM CHRISTINAM A LOTHARINGIA

Magnam Aetruriæ Ducem.





SENIS,

Apud Syluestrum Marchettum. M.DC.XVII.

Superiorum Permissu.

SERENISSIMÆ PRINCIPI CHRISTINAE A LOTHARING. Magnæ Aetruriæ Duci.

DOMINAE SVAE COLENDISSIMAE

VICTORIVS MANNIVS
Perpetuam Felicitatem.

COMMVNIS *est rerum omnium conditio, nil vt prodat in lucem, ita èlaboratum, & perfectũ, quod in pluribus non deficiat, proindeq; alterius non indigeat auxilio. Hoc instar omnium in perfectissimo animantium homine innotescit, qui pro corpore à noxijs affectibus seruando medicorum præceptis, proq; mente enidienda præceptorum disciplinis subijcitur. Animalia cętera non refugiunt homines imperium, vt quicquod ex se ipsis imperfectionis habeant, humana corrigatur industria. Idipsum plantæ testantur, quæ in viridarijs hac de causa seruntur, vt in dies magis, ac magis adultæ vberiores ferant fructus, & suauiores. Quid? ipsi lapides, vt Cosmi, aut Ferdinandi Heroicorum Principum referant imaginem labore perfici, sculptorumq; arte elaborari necessarium est. At quid mirum? hæc vna lex est rebus omnibus indicta, labi semper, & corrumpi, nec sine alterius ope opus aliquid omnibus numeris absolutum reperiri. Vnde celebris illa sententia effluxit, vt eum, qui hominibus succurrat, opẽq; ferat, Deum inter homines appellare debeamus. Cum ergo*

hec presens opus de Balneis Sancti Cassiani, eisdam cum alijs, & etiam deterioribus sit præditum conditionibus, cũ ab ingenij mei imbecillitate sit productum, non esse defuturos ominans inticos, ideo, ut ab eorum calumnijs seruetur incolume,, Celsitudini tuæ Serenissimæ dicendum proposui præterea nemini. Quam enim Principem inquirere debet opus, nisi eam, sub cuius patrocinio est auctor? Quam Dominam Balneorum Sancti Casiani tractatio in Fronte deferre, nisi eam, quam Balneorum Incole gestat in pectore? Quam Patronam exposcere Manoorum familia, nisi eam, quæ primi COSMI Nurus, quæue Secundi COSMI Mater existat? quorum Benignitati maximo pere deuinctam esse profitetur. Quapropter Celsitudinem Tuã oro, obsecro, ut hæc quàmuis humilia, tam æquo ac benigno suscipiat animo, quàm quo scripta me sunt syncero, ac fideli. Itanamq; nominis tui splendor perfusa hominũ conspectum illustriora adire; calumniatorumque linguas poterunt effugere tutiora; quin etiam Balnea ipsa manificentiæ tuæ imbribus irrigata, euadent in posterum salubriora. Vale.

AD BENEVOLVM LECTOREM.

DE Balneis Sancti Cassiani opus in lucẽ edere, non propria voluntate motus, sed, vt aliorum placitis obtemperarem coactus cum fuerim(Humanissime lector) venia potius, quàm culpa dignum ab omnibus iudicatum iri confido. Patriæ namque parentibus, & amicis, quibus perpetuo natus quilibet esse debet, & ipse præsertim, id à me exposcentibus negare, in humanum esse duxi ideoque oneri succumbere satius esse, quam illud recusare. Propterea hilari fronte illud suscipere decreui, cui si ex uotis satisfacere non potero, vt munus, subiectique dignitas exquireret, ingenij mei imbecillitati, non voluntatis defectui tribuendum erit : Quare mihi satis erit pro viribus officio meo respondisse, ne ingratitudinis vitio à Sancti Cassiani Terra inurar; cui quidem cum debere me non parum persentiam in ea natus, ab ea altus, eius alumnum dici non dedignor. Quod sanè nil detrahit(quicquid alij dixerint) vniuersæ meę familiæ quàmuis enim ex hoc solo oriunda, nihilominus Maiorum Benignitate, proprioque merito varios nobilitatis honores alibi consequuta est; quàm sibi partam gloriam non timebit ex se præseruare, quin etiam huius loci auxilio, qui semper fuit, & erit(licet breuibus finibus conclusus) idoneus ad quemlibet extollendum, eumque(dummodo nactam occasionem arripiat) clarum per vniuersum orbem reddere. Quapropter summaui niti debet vnusquisque honestissimis actionibus, hanc comunem patriam honore prosequi, non eos deprimere, qui tali pacto maiorum vestigia sectantes inuigilant omni ingeniorum conatu, pro generis humani amicorum commodo, suæ præclaræ voluntatis monumenta relinquere. Opus igitur in tres diuisum partes studiose Lector accipe, in quarum prima de nobilitate agetur, atq; præstantia horum balneorum, de mineris participatis his aquis, earumque qualitate, de vsu balneorum, & particularis fiet sermo de quolibet balneo; In altera de modo operandi dictorum balneorum examen erit; Et in tertia tractabitur de his, quæ seruari debent in eorum administratione. Superest nunc, vt has lucubrationis, qualescumque tandem fuerint, æqui, bonique consulas, & si quid in eis lapsum adinuenias, emendare, non redarguere digneris. Valde.

3a

AB-

ABBAS DOMINICVS PERINVS

Ab Anticolo Campano.

PEruenì tandem quò me misere periti,
Mens mea, quò traxit, suasit amicus iter.
Bis quinos veniens soles non solus ad ista
Aeger equo insedi balnea nota procul.
Bis denas eadem luces, potusque lauacrum
Consilio Medici dulce fuere mihi.
Herpete erat longum per tempus dextera palma,
Ac iecur affectum; vana medela fuit.
Balnea sanarunt, tribuit vim Rector Olimpi,
Hic populus fœlix semper habendus erit.

LIeto tornò della Ciprigna Dea
Il magnanimo figlio dal'Inferno,
Lieto io sanato dall'herpate rea
Quindi ritorno al nido mio paterno.
Egli per guida la sua madre hauea
Io la Madre di DIO, come discerno
E San Casciano per cui preghi ognuno
Quindi si parte d'ogni mal digiuno.



In-

Index Capitum primæ partis.

Capita secundæ partis.

Capita

40r

Capita tertiæ partis.



DE BALNEIS SANCTI CASSIANI

PARS PRIMA.

De nobilitate, atque præstantia Thermarum Sancti Cassiani.

CAP. I.

DE Balneis Sancti Cassiani agere cum proposuerim, ab eorum dignitate, atque præstantia principium sumere statuti; non quòd sint de ipsorum essentia: sed quia ex his celeberrimum nomen per totum orbem sibi vsurparunt hanc autẽ dignitatẽ, & præstantiã haurire nobis licet tum ex his, quæ denotant eorum antiquitatẽ; tùm etiam ex præstantissimis ipsorum effectibus; à quorum quolibet si seiunctim colligi posset nobilissima esse hæc balnea, multò magis poterit ostendi, dum coniunctim reperiuntur: præstat enim antiquitas illis, quod sanguinis nobilitas hominibus; effectus autem idem, quod actiones; & quod antiquissima sint balnea ista, colligitur primo ex authoritate eorum, qui de illis scripserunt reponentes ea in Comitatu reali clusino, vt notat Horatius ad vallam dicens. Qui caput, & stomachum audent supponenere fontibus Clusinis quod vero pro istis fontibus Clusinis accipienda sint hæc balnea, inde primo potest ostendi: quia prope Clusinam vrbẽ non reperiuntur alij fontes prædictis functionibus inseruientes, vt faciunt hęc balnea; pręterea sequentia verba Heratij dicentes (frigida rura) denotant ipsum pro fontibus Clusinis intelligere hæc balnea, cum locus iste frigiditati potius, quàm caliditati sit subiectus, vel ea reponentes in Dominio Vrbis veteris, vt notat Sauonarola, & alij. vel in ipsa Senarum per antiqua ditione; vnde concludi potest, antiquitùs hæc balnea in vsu fuisse. Colligitur etiam antiquissima esse ex monumentis à diuersis, & in diuersis temporibus adinuentis: statuta enim proposita à Reuerendo Andrea Schia-

uetio in suo libello de his balneis, adinuenta ab Angelo Fabruc-
cio annis elapsis sub balneo Ducciæ maximum est antiquitatis in
dicium; lapides pręterea adinuenti ab Antonio Maria Orellio
propè balneum magnum, ostendentes ibi fabrefactum fuisse
Aesculapio templum, & Hygiæ pro salute a quibusdam acquisi-
ta indicant eorum antiquitatem. Columnæ insuper lapideæ in
restauratione ficuncellæ picturæ in facie muri subterranei pro-
pè conseruam antiquam aquæ ipsius ficuncellæ lapidis ad seden
dum accomodati ante dictam conseruam, columna marmorea in
formam vitis digesta, & statuæ duæ mutilatæ eodem loco adi-
nuentæ inter memoranda, & antiquissima balnea Sancti Cassiani
reponi debere testantur, & ideo nobilissima; vnde detrahere
quisquam eis non audeat, quod tempus omnium rerum edax nõ
potuit. Sed quid eis prodesset antiquitas ista, nisi effectus respon
derent antiquitati? certe idem præstaret, quod proponitur à Pe-
trarca in primo de rem: vtriusque fortunæ de columna in osten
denda aliqua pictura. Effectus autem horum balneorum cum in
ferius in tractatione cuiuscumque balnei enarrentur, ne lectores
tædio afficiam, idem sæpius repetens, ab illis nunc obstinere o-
ptimè factum iudico, illud vnum indicasse satis esse arbitratus, vir
tutem nimirum his cælitus fuisse inditam, vt de ipsis meritò pos
sim præcipue dicere, quod Baccius in lib. 7. cap. 22. dicit de bal-
neis in vniuersum nullos videlicet reperiri morbos, siue commu
nes toti corpori, siue particulas ipsas priuatim occupantes, quos
opportuna harum aquarum administratio non persanet; quod li-
cet impossibile videatur, liquido tamen apparebit, id facilè fieri
posse ex his, quæ dicentur spectantia ad ipsorum operationem.
Quare ne tempus frustra teratur in ijs obscurandis, quæ luce
meridiana clarius elucent, illud licet nobis concludere, & firmi-
ter tenere, Balnea Sancti Cassiani inter alia balnea memoranda
esse cùm antiquitate temporis tùm etiam effectuum pręstantia,
quibus eò fertur ipsorum fama, vnde exiuit virtus pręsertim se-
cundis his temporibus optimi regiminis Serenissimi Secundi CO-
SMI Hetruriæ Magni Ducis, quem protecturum spero, & obse-
cro locum hunc, non secus ac factum fuit à fęlicissima recorda-
tione Serenissimi FERDINANDI eius Patris, vt infra apparebit.

De mineris existentibus in his balneis, earumque qualitatibus. Cap. II.

EFfectus, de quibus supra facta est mentio; cum prodant ex his termalibus aquis, quatenus prædite sunt pluribus ingredientibus, quorum varietas actiones etiam variare cogit, vnde non proprietatibus occultis vt quibusdam placet, sed manifestis ut refert Sauonarola in 2. lib. de baln. cap. 3. rubr. 4 & diffusius infra tractabitur, sunt attribuendi effectus horum balneorum, licet primo intuitu id fieri non posse videatur, cum ex ipsis prodeant effectus aliquando contrarij, quemadmodum præcipue apparet in balneo ficuncellæ coadiuuante uentriculum calefactum, & non calefactũ, & in balneo magno diminutas purgationes muliebres, et superfluas, corrigente, ut suo loco declarabitur; est in presenti aperiendum, quibus ingredientibus constent thermales hæ aquæ, earumque natura est inuestigenda: quia ex hac cognitione supradictæ dubitationes tollentur, & dilucidior apparebit doctrina diuersitatis operationum. Mineræ igitur, quibus participant balnea ista, sunt alumen, ferrũ, æs sal, sulphur, bitumen, tutia, aurũ, & argentũ: idque ex eo, quod residet in stillicidijs tàm naturalibus quàm arte factis, ex sensata cognitione, atque experientia collectum fuit. Istæ autem mineræ diuersimode coniunguntur in qualibet aqua, cum aliquo tamen prædominio alicuius mineræ peculiarem operationem agentis, de qua coniunctione, & prædominio suo loco dicetur, satis est in præsenti mineras proposuisse, vt de earum qualitatibus sermo habeatur. Alumen igitur à græcis stitiria dictum, ab adstrictione nomen assumpsit; illi namque vehementissimã adesse testatur Gal. 9. de simpl. med. facult. idemque indicat gustus, cum ei reddatur stipticum, multumque adstringens; & odoratui spirat ignis odorem, loquendo de liquido alumine, & de scisso; factitium enim parum, vel nihil spirat odoris. Aluminis essentiam Sauonarola, & Oddus Patauinus declarant asserentes, calidum, & siccum esse in tertio gradu, & combustum eleuari in altiori gradu; propter quam qualitatem has efficit operationes. Prohibet fluxum sanguinis, fluxum superfluitatum, earũque effusionem, abscindit nimium fluxum menstruorum, & bibitum, & suffumigatum, ventrem soluit, & notabiliter, licet hoc impossibile videatur propter stipticitatem, quæ in eo reperitur; vulneribus deinde, & vlceribus diuersimode conferre, testatur idem Sauonarola; & omnes has facultates tribuit illis

aquis, in quibus reperitur. Ferrum autem à feriendo dictam ex Manardo in xvi. lib. epist. vltima, vbi loquitur de aquis mineralibus sacris ab eo appellatis, est frigide, & suæ complexionis Sauonarola magis excedere in siccitate quam in frigiditate concludi (assere) frigidum esse io secundo gradu, & siccum in tertio eius uirtus est infrigidare, exiccare, & stipticitatem inducere. Aquæ autem ferro participantes teste Auicena lib. 1. fet. doctr. 3. cap. 16. resoluunt splenem adiuuant ad coitum, & non ualentes coire; cui sententiæ se subscribunt etiam Paulus Aegineta lib. primo cap. 52. & Aetius lib. 3. de re medica cap. 177. & quod magis refert, experientia inspicitur in ficuncellę operationibus, ut in fra dealarabitur. Aes ab auri similitudine dictum, ut aliquibus placet, uel a uerbo græco aiæ terra, uel ab asse, ut notat uarro, est sua natura calidum, & siccum in tertio gradu, ut asserit Sauonarola, eius facultatem subccingens consistere in calefaciendo, exiccando, abstergendo resoluendo, incidendo; quod etiam testatur Georgius Agricola in 3. lib. de natura fossilium, addens hunc effectum præstare cum aliqua mordicatione. Vstum autem æs addit Sauonarolę esse magis subtilitatium, constrictiuũ, ulcerum mundificatiuum, incarnatiuum, consolidatiuum, carnẽ diminuens superfluam, non permittens eam augeri; præterea inquitæs laxare uentrem, & soluere aquam citrinam bibitum cum melle ad aurum unum cum dimidio; propterea non mirum uideri debet, si ex his aquis potabilibus balneum magnum fit maioris facultatis in laxando, & soluendo uentre, cum participet hac mi nera, licet in paura quantitate Gal. postea 3. meth. de uirtute loquens testatur ipsum mederi ulceribus malignir, & hoc experientia mani festat in balneo Sancti Georgij, ut intra colligetur. Sal postea, quem denominatione dici à salute existimo, eo quòd salutem afferat his, qui eo utuntur, uel pro condiendis cibis uel pro ijsdem conseruandis, uel pro remouendis aliquibus accidentibus corpori humano superuenientibus (unde in prouerbijs sapientiæ comparatur) calidus, & siccus est in secundo gradu, & quanto amarior, & acutior, tanto calidior est ex sententia Sauonarolæ, eius uirtus est exiccatiua, uno autem, eodemq; tempore ex Georgio Agricola mũdificat, adstringit, et abstergit, & ex hoc inquit Sauonarola salem esse calefactiuum resolutiuũ, exiccatiuũ uentositatũ dirruptiuum, & operationũ fortitudinem oriri propter resolutionem, & eius stipticitatem; præditum deinde esse dissolu-

siua educente humores grossos, & viscosos, aius quæ eductionem
esse liquefaciendo, quod inuenit ex humiditatibus, & post illud
stringere, quod Sauonarola sumpsit ex Auicenn lib. 3. fen. 2.
doctr. 2. cap. 16. dicente, aquam salsam macrescere facere, &
exiccare, & primò soluere per vim abstersiuam, quæ in ea existit,
postea restringere ventrem propter siccitatem, quæ est in eius na
rura hos autem effectus cum videre non possimus in proprio bal
neo participante salis mineram ob venæ dispersionem, vt suo lo-
co declarabitur; eos tamen videmus, quando sale vtimur in prin
cipio ebibitionis harum aquarum, ut infra innotescet. Sulphur
deinde, qui dicitur quasi solus vrens, ab Alihimistis considera-
tur vt semen masculinum inter metalla, & commixtum cum argẽ
to viuo, vt cum vxore, ex Andrea Baccio in lib. 4. de Thermis
cap. 2. & cum sit incompositæ substantiæ, reduci potest ad
omne mætallum hoc esse calidum, & siccum in quarto gradu te-
stur Sauonarola, & eius operationes subiungit esse calefacere, ve-
hementer exiccare, resoluere, aperire, attrahere, atque ventrem
stipticum eddere Georgius Agricula asserit eius virtutem abster
siuam esse, & mandificatiuam. Gal. inquit sulphur purgare pul-
monem, & absortum cum ouo expurgare in icteris. Isti autem
effectus in omnibus his aquis, ebibitioni præcipue dispositis in-
spiciuntur, quamuis sulphur eis in esse non appareat; cum care-
ant eius odore, nihilominus eis in esse non est dubium propter
rationem, à Baccio superius propositam, Sulphurei autem odo-
ris est limus quidam tenax bitumen dictum, græce asfaltos quod
ex Georgio Agricula reponitur in secondo gradu caliditatis, &
siccitatis, & ideo asserit conglutinare, & vrere vulnera uirulen-
ta, sanguinemque sistere, ex Gal. 1. de simpl med. facult. bitumẽ
calidissimum esse colligitur, & in 8. de simpl. med. facult. repo-
nitur in tertio gradu caliditatis, & siccitatis & eius effectus esse
ait, calefacere, exiccare, & adstringere; talis uerò facultatis ipsũ
esse conspicitur in balneo, de Fraticellis, ut proprio loco declara
ebitur. Tutia ob tutelam, quam habet in collyrijs oculorum, no-
men sortita, & proprio nomine pompholix dicta ex Baccio in 6. de
Thermis cap. 16. uel est artificalis, uel naturalis, artificialem
uocat leuissimam illam fauillam, quædam coquitur æs, è subti-
lioribus tum æris ipsius, tum etiam Cadmiæ partibus euolat, in
bullasque exiles circa summum camini concrescit naturalem au-
tem eam inquit esse, quæ reperitur in fodinis non modo æneis, sed

& argenteis, atque aureis sub qua reponitur etiam ea, quæ reperitur in fondinis mineralibus Thermarum. Tutia ut colligere possumus ex Gal. 9. simpl. desiccandi, & abstergendi vim habet, & ex eodem particula secunda de oculis cap. 5. desiccat, & infrigidat sine dolore, presertim si lota sit; & dicit valere vulneribus, pustulis, & lachrymis ocolorum Baccius loco cittato asserit incaliditate, & frigiditate temperatam esse, quod neutrum insigniter efficiat, precipue autem hoc tribuit aquis naturaliter possidentibus tutiam, ut sunt thermales, & subiungit tutius esse, vt quis vtatur huiusmodi aquis, quàm colyrijs ex eadem præparatis vnde assumit occasionem laudandi inter aquas thermales aquam Buxi dictos effectus efficientem, vt infra declarabitur. Aurum, quod inter mettalla reputatur esse ens perfectissimum, ut norat Baccius lib. 6. cap. 8. aliquid præsefert cælestis sibi elargitum ab omnibus qualitatibus in eo existentibus, quæ sunt pondus, mollities extensio, splendor, resistentia non cum igne solum, sed cum tempore, permanens omni experimento semper idem, & incoruptũ etriguur illustre aurum, nedum splendori syderum, sed soli quã simillimum, non tantum nitore, ac fulgore, sed virute, quoque viuificante; vnde ad affectus cordis, & animi à medicis celebratur, & propterea aquæ etiam naturaliter auro inebriaræ, quouis modo participent, qualitatem non tantum habent exiccandi, ut obtinent vniuersaliter omnes metallicæ naturæ; sed etiam calefaciendi, & moderate digerendi, itemque abstergendi, ut refert Baccius loco citato; quinimo ex eodem Baccio cap. 9. eiusdem libri, animam ipsam respiciunt, ac instrumenta eiusa, cor videlicet, peæcordia, pulmones, thoracem, & reliqua viscera confortando: cerebum deinde, neruos, ac cetera sensoria reficiendo, animam exhilarando, spontaneam moestitiam tollendo, hebetes que spiritus vegetando, visiles præsertim, ut in tractatu de aqua Buxi clare apparebit. Argentum tandem, quod tamquam matrix alumna est auri in metallis, proxime accedere ad auri cõditiones testatur Baccius loco citato, dici serenitatem referens, clarius, auro, & magis sonorum, & licet Auic. lib. 1 fen. 4. doctr. 2. comparãs aurum cum argento dicat, aurum esse complexionis temperatę argentum autem esse aliquantulum frigidum; & sicum nõ tamen tollitur, quod ipsius conditiones non proxime accedant ad conditiones auri: quia cum sint vtrique eadem principia, sed minus elaborata in argento, quam in auro, propter hoc dicitur

esse aliquantulum frigidum, non quod vere sit frigidum, sed in respectu auri ob minorem elaborationem naturalem, & quod hoc sit verum, ut re demonstratur, qua mediante per longam præparationem, diligentemque sapientis industriam argentum transit in aurum; qua propter concluditur argentum esse conditionis ferè eiusdem, quam obtinet aurum, & aquas ipso participantes mirabiles procreare effectus, ut vidimus in sermone de balneo luti, sufficit hæc in præsenti dixisse de mineris existentibus in Thermis Sancti Cassiani.

De numero aquarum Sancti Cassiani usui comuni servientium, earumque dispositione Cap. III.

DE terminatis natura, & effectibus minerarum, quibus participant aquæ thermales huius loci, priusquam ad investigandam naturam, & effectus ipsarum aquarum descendamus, pro clariori earum cognitione sint hęc adnotanda, & primo sciendũ est, quod locus iste licet plurimis ornetur aquis tærmalibus, ad decem tamen numero reducuntur ad comunem usum accomodatæ, scilicet balneum magnum, seu *della Terra*, uulgari sermone nuncupatum, balneum buxi, seu della Grota, balneum Caldanee, balneum Ducciæ, balneum Sancti Gorgij, balneum Sanctę Mariæ, balneum Ficuncellæ, balneum Piscinæ, balneum Luti, & ultimo balneum de Fraticellis, quæ balnea ita sunt disposita, ut tria fere per lapidis iactum sint prope castrum, nempe balneum magnum, Buxi aquaductus, & Caldanea, quatuor simul per millia remedium distant à castro uidelicet balneum ducciæ Sancti Georgij, Sanctæ Mariæ, & Ficuncellę aquę ductus: distat à Castro per milliare unum piscinæ balneum, per millare unum cum dimidio balneum Luti, & demum per duo milliaria balneum de Fraticellis.

Quibus mineris ornentur istæ aquæ, & de earum prędominio Cap. IV.

BAlnea supradicta quamuis inter se distent, est secundo loco notandum, in hoc conuenire, quod unumquodque, eorum aluminae, & ferro secundum magis, & minus participat, sed postea differunt, quoniam non nulla, ære participant, alia sulphure alterum auro, & tutia, sale unum, aliud bitumine, & argento alte-

to alterum, Balenum, namque Ficuncellæ à prædominio ferreum est, alumine participans; balneum magnum aluminosum est fer ro participans, & ære Buxi balneum aluminosum est, & ferreum auro, & tutia participans. Piscinę balneum salsum est, & alumi nosum ferro participans. Sancti Georgij balneum æreum est, fer ro, & alumine participans. Sancte Mariæ balneum aluminosum est, & ferreum, luti balneum conuenit cum balneo Sanctæ Marię argento participans. De Fraticellis balneum aluminosum est, ferreum, & bituminosum. Caldaneæ balneum aluminosum est, & sulphureum ferro participaas. Ducciæ balneum ferreum æreum, & aluminosum est, modico sulphure particcpans, quod quidem prædominium, & participatio minerarum, ex sedimentis re lictis in distilatione harum aquarum, & in cursu earundem, nec non ex saporibus cognita fuit, (& quod prius dicere debueram) ex mirabilibus effectibus iam diu expertis, & confirmatis tam in potanda aqua, quàm in balneandis corporibus, & Duccijs, ex quibus satis esset cognoscere prædominium, & participationem minerarum; & esset satis tuta ista cogntio oriens à notioribus no bis, & sensui prop inquioribus; cui cognitioni fauet etiam authoritas eorum, qui de his aquis tractant, ut suo loco declarabitur.

De Functionibus harum aquarum. Cap. V.

EST ultimo loco animaduertendum harum aquarum ita dispositarum alias ad potandum deseruire, quemadmodum sunt aqua balnei Magni, Buxi, Ficuncellæ, & Piscinæ, alteram ad ducciam dum ventriculum deseruire, & hæc est aqua balnei magni; aliam dispositam esse ad ducciandum caput, qualis est aqua ducciæ, alium ad lotandum accomodatam esse, & est luti balneum; reliquas uerò pro infusione pręparatas esse, licet ad hunc usum de seruiant etiam superius neminata balnea, præter Piscinam, balneum luti, & ducciam, ut infra distincte apparebit, ablata prius controuersia de præcedentia in eorum tractatione.

De ordine tractandi de his aquis. Cap. VI.

IN tractatione Tærmarum Sancti Cassiani uidetur rationi con giuum, incipi debere ab his aquis, quæ lauacro (sunt dispo-

fite,

ftræ: quia pro balneo proprie locus abluendi intelligitur, vt colligitur ex eius descriptione; terminus enim hic balnei, ad quem reducuntur stupha, lauacrum, & Thermę, vt placet Octauiano Mariano Vrbisinati in suo libello de aqua albula, sic definiuit. Balneus est locus constructus a natura, vel arte factus, in quo est corpus subtile, vel liquidum corpori circumferentialiter occurrens, vel aptum occurrere, vt sit ipsius secundum qualitates manifestas, vel occultas actualiter immutatiuum. Si pro balneo igitur proprie locus, abluendi intelligitur, merito ab his aquis videtur incipiendum esse, quę balneis sunt accomodatæ; veruntamen ab hoc ordine recedere nō verebor incipiens ab aquis potabilibus, cum sint saluti humanę magis vtiles, ut testatus fuit Gal. 1. de art. cur. rat. ad Glauc. dicens, aquę marinæ, salsæ nitrosæ, & sulphureę balnea ducere plus bilis, sed multo minus prodesse, quam potabiles; & experientia ipsa, qua medicamenta comparanda sunt, vt docet Gal. 1. de san. tuen. idem comprobat; sanari namq; à quolibet morbo nullus vnquā perfecte potuit, nisi ebibitio præcesserit, vt infra declarabitur. Iure igitur ab aquis potabilibus incipiendum est, quas esse quatuor superius dictum fuit, scilicet Ficuncellam, Balneum magnum, Buxum, & Piscinam.

De ficuncellæ inscriptione, & qualitatibus Cap. VII.

EX aquis potabilibus à ficuncella incipere statui, non quod hæc reliquas aquas potabiles virtute excedat, licet Auic. in 1. tractatu libelli de remouendis nocumentis, quæ accidunt in regimine sanitatis testetur aquarum mineralium meliorem esse ferream: sed quia hæc est toti Terrarum orbi celeberrima, & prodest vniuersaliori affectui, à quo omnes penè affectus dependent, propter quod o bene dixisse Auic. affirmari potest. In eius tractatione ordo iste seruabitur qui comunis est etiam alijs. Examinabitur inprimis inscriptio, deinde qualitas, vltimo effectus a nomine autem sumendum est principium, cum nomen sit eius conditionis, vt non solum rem nominatam ab alijs distinguat; sed etiam (quando magis attendi debet) vim rerum quodammodo seruet, ex quo per nomina quasi rerum imagines res ipsę cognoscuntur. Vnde Plato in libro Cratilus, dicto præcipit, nomina, si modo vera futura sint, rectéque ponenda, ea forma confiari debere,

bere, quã rerum proprietates pro viribus imitentur, & explicentur: propterea subiunxit, non casu, non pro libidine, sed arte accomodari debere, quemadmodum factum est in præsenti balneo, quando dicitur figatella, vt notat Sauonarola, sumpto nomine ab hepate cui principaliter prodest; licet comuniter dicatur ficuncella, vel quòd videatur nomen magis condecens, vel quòd eisit impositum tale nomen propter arborem fici propæ balneum hoc natum, vt notat præsbiter Andreas sohianettus in suo tractatu: sed talem arborem cum numque viderrum, potius corruptum esse nomen existimo propter vtriusque vocij interesse affinitatem Quomodocunque se habeat, per hoc nomen ficuncellę balneum discerni satis est á reliquis balneis, & per idem nomen principalis eius proprietas exprimitur: ostenditur enim hanc aquam hepaticam esse, vt infra declarabitur, cognita prius eius qualitate; quam cum possimus interius, & exterius considerare, vt distinctè procedatur, opere præcium est, prius externa qualitas examinetur, non quod pręstet aliquod viuamentum, sed quia hæc patet sensui, & est incitamentum hominum ad eius vsum. Includuntior autem sub hac qualitate antiquitas huiu aquæ, ornatus, leuitas, dantas, caliditas, & quantitas eiusdem. Antiquam verò esse aquam ficuncellę facilè colligi potest ex his, quę de ipsa scribant, quicumque tractant de aquis mineralibus, extollentes eam supra alias aquas, facilius etiam colligetur antiquissimam esse ex monumentis nuper adinuentis in restauratione huius aquæ in qua illud prius notatum est, tribus vicibus balneum hoc fabricatum fuisse nam pręter præsentem restaurationem, & eam quę ante præsentem aderat, detectum fuit antiquis adificium per parielem pictum, positum ante pristinum stillicidium penes quem sequebantur murus dirutus, & sedimen lapideum circuncirca, post parietem autem pictum inuentus fuit muri angulus more saracenico constructus, vndequaque circa sex cubitos continens; & existimatur ita fabricatum fuisse, ut defenderet hanc aquam ab imbribus: nam intra ipsum conseruati aquam certum est: quia prope finem huius muri aderat cõductus aquæ ex picto pariete egrediens; quæ verò pictura adesset, dignosci non potuit per antiquitatem; quamuis magister Michael Ferrus à Sonuico vallis Lucanæ magnam diligentiam adhibuerit, vt posset aliquid colligi, sed colores tantum modo inspecti fuerunt. Præterea prope pictum parietem adinuenta fuit statua marmorea mutilata capite, & brac-

chijs, & pede; insuper alia Statua marmorea satyrica, quam positam fuisse pro termino alicuius columnatus inde colligitur: quia in eodem loco reperta fuit columna marmorea summo artificio instructa, & lapides marmorei pro pauimento inseruientes, & si vlterius progredi datum esset, existimatur, quando alia huiusmodi monumenta detecta fuissent: sed præsentia non sunt parui momenti ad ostendendam antiquitatem huius aquæ, & eiusdem vsum. Qua de re non immerito factum fuit, quando Serenissimus Ferdinandus in dyuæ memoriæ Princeps, sua pietate ductus, vt sui moris erat, à longe prospiciens famam huius aquę per incredibibilem Magnatum, totiusque generis hominum concursum, & audiens præciosam hanc gemmam quasi sublimo latere, dum ita permanebat, studuit magnis sumptibus erigi ædificium condecens huic aquæ ad maiorem vtilitatem, & commodum eorum, qui ad eam accedunt. Vnde nec dedignari debuit, imo gloriari, & gaudere Dominus Guglielmus de Guglielmis Patritius Senensis, sibi demandatam fuisse curam huius ædificij, cum particeps, & ipse fuerit humanę salutis, quotidie assistens proprio incommodo, & labore, quo fideliter, & pro viribus fons verus, & origo huius aquæ penetraretur, vt factum mirifice fuit: eousque enim fodiendo peruentum fuit, donec sub angulo muriuetim ore saracenico, ut sante dictum fuit, extructi, & prope ipsum in spacio duorum cubitorum sub magno uiui lapidis scopulo adinuenta fuit tota aqua, quæ suij illius uitio, ac varijs ruinis intus pęne tota effusa ac dissipata suberat fuit in quadrata cóserua, ita instructa, & circunuenta vndique, ut perpetuò stabilis permansura sit, & protecta ab imbubus, & aere, transiens a conserua ad locum potationis per spacium octo cubitorum, per aquæductum maximo artificio fabrefactum, ex quo maior vtilitas redundabit his qui egent eius auoxilio, & maior commoditas in eius usu, cum spaciosum tugurium fabricatum sit contines magnum numerum hominum, ubi in secunda restauratione non aderat locus pro uiginti quinque hominibus; & ante tugurium fabricatus est columnatus lapideus deseruiens pro deambulatione, & ornamento huius præciosę aquæ, ut libentius accedant ad eam gentes, & libentius ea utantur, spe freti maioris salutis per dictam restaurationé, & excitati à tanta commeditate, quę in præsentiarum in ea reperitur. Claritas deinde eiusdem aquæ allicit homines similiter ad euis usum, cum limpidissima sit, nec unquã eius color

mutetur, neque à pluuia venetur, quando mirandum non est, cũ vena ista sit adeo subterranea, vt difficillime ad ipsam peruenire valeat aqua desuper influens, hoc tamen verum est ferrugineas squammas interdum ab hoc aqua eleuari per paruum temporis spacium, & tunc licet non turbetur, aqua, nihilominus à potu abstinendum est, donec pertranseat eleuatio istius materiæ De leuitate illud notandum, hanc aquam ab alijs aquis potabilibus mineralibus parum, uel nihil differre, sed aquis dulcibus quamuis leuissimis hanc leuiorem esse, & hoc exacta cum diligentia pondere obseruaui; quando inde oriri existimo: quia à centro quasi per stillicium minerarum extra delata dum colorem actualem acquirit, eodem etiam tempore leuitatem acquirat, & depuretur, vt fit in aquis stillaticijs. Calor preterea (de exteriore loquor) est temperatus, neque immutatur propter aeris frigiditatẽ, vel caliditatem sed idem semper manet non secus atque: claritas, & si in hyeme apparet calidior, hoc fit respectu nostri, non respectu ipsius aquæ quæ neque gustui redditur ingrata per saporem, & odorẽ; cum nullus odor, vel sapor in ea potanda sentiatur ingratus. Restat postemo de quantitate fiat sermo, quę si in præsenti maior est, ac fuerit præterito tempore, nulli mirum uideri debit; quoniam (ut dictum est superius) in hac restauratione summa cum diligentia aqua iam dilatata ex antefactis ruinis collecta est in conserua enarrata ita, ut firmiter credatur in posterum nec augeri, nec minui posse, sed pręseruari in eadem quantitate, quæ modo apparet; & hæc sufficiant de externa qualitate. Pro interna autem id intelligi debet, quando aquam hanc propria qualitate spoliat, eamdemque distinguit ab alijs aquis thermalibus; & uim pręstat efficiendi eos effectus quos parturit: aqua enim ut aqua frigida est, & humida, & in præsenti frigiditas cum siccitate est conuincta: quoniam hęc aqua ferrea est, & per consequens frigidæ, & siccæ complexionis, cum ferrum sit frigida, & siccæ complexionis, ut supra dictum est; & quando aqua ficuncellæ ferrea sit, dignoscitur ex sedimentis, ex sapore, & ex effectibus, & ultimo authoritatibus cõfirmatur: sedimenta enim istius aquæ igne depuratæ si spectentur, in eis liquido apparet, quando in uena ferrea; si spectantur in cursu eiusdem, nobis repræsentant æruginẽ ferri, sapor deinde idem manifestat: quia eius sapor inlepidus est, & ferrugineus cum stipticitate effectus etiam hanc qualitatem manifestant, cum eos effectus præstet hæc aqua, quos

ferrum ipsum confert, & tandem Sauonarola, & Baccius idem affirmant; quare concludendum est, aquam ficuncellæ ferrű esse, & ex consequenti frigidam, & siccam. Hoc tamen est animaduertesdum, quando dicens aqua ficuncellæ frigidę, & siccæ complexionis esse, ea caliditate omnino spoliari non intelligo, tum ratione sulphuris existentis tanquam primum ens in mineris, unde acquirit calorẽ actualem, ut notat Baccius in 6. de Thermis cap. ficunc. tum etiam ratione participationis aluminis, ut effectus ipse demonstrat: uentriculus enim, nisi participaret aqua ficuncellæ aliqua caliditatis portiuncula, sufferre non posset hoc medicamentum sumpitum præsertim in ea quantitate, quæ quotidie sumitur, unde concluditur hanc aquam magis excedere in siccitate, quam in frigiditate, frigiditatem autem contemperari à participatione alterius mineræ nempe aluminis, & sicdicitur à prædominio ferream esse, & per participationem aluminosam, quãdo uisum fuit in stillicidijs, & effectibus, sedimenta enim non solum repręsentant ferrum, sed etiam alumen, & effectus licet primariò sint ratione ferri, apparent etiam ratione aluminis, si velimus credere Sanonarolæ asserenti hanc aquam cõferre discrasiæ calidæ, & frigidę hepatis, nec non etiam experentiæ supradictæ, quando considerans Baccius loco citato dicit hanc aquam facere in frigidam causam: quia actum calidũ est ac proportione partiũ temperata, refrigerare autem, vel quia virium refractarum est ex natura ferri frigida, & sicca; uel refrigerare ex accidenti, eductis videlicet humoribus calidis, qui in promptu sunt, ac solutu faciles. Sed intelligat Baccius, quomodo velit, effectus huius aquæ, illud est concludendum, & hanc aquam in passiuis siccæ qualitatis esse, in actiuis verò frigidæ cum aliqua caliditatis portiuncula; & ex hac qualitate distinguitur aqua ficuncellæ ab alijs, aquis ebibitioni dispositis, & per eandem qualitatem præstat infra scriptos effectus.

De Ficuncellę effectibus. Cap. VIII.

IN enarrandis huius præciosę aquæ effectibus, ne videar nimia affectione moueri demonstrans eius operationes excedere operationes serearum aquarum ab Auic. lib. 1. fen. 2. doctr. 2. cap. 16. propositarum à Paulo Aegineta lib. 2. cap. 52. & Aetio lib. 3. de remedica cap. 177. dicentibus; aquam, ferri virtutem forsitam stomacho conferre, splenem resoluere,

aduiuare ad coitum, & non ualentes coire, opere pręcium esset, prius quasdam dubitationes demedio tollere spectantes ad huiusmodi operationes, ueruntamen quoniam nimis longa digressio esset, & sunt comunes omnibus alijs aquis propterea earum dilucidationes ad sequentiem partem dimittam, & in præsenti illud sufficit dicere, quando præfati authores loquebantur de aquis tantum ferreis, non ex mixtis qualitatibus existentibus, quæ mixtio uarias producit operationes pro singulæ cuiusque imperantis ratione, ut idem Actius ostendit in fine eiusdem capitis, & præsens aqua demonstrat in suis mirabilibus effectibus à prędominio ferri, & aluminis participatione sibi elargitis; quos enumerare nunc uolens afferam unicum exemplum pro confirmatione cuiuscumque effectus, idemque seruabitur ordo in effectibus aliarum aquarum. Hęc igitur aqua primo, & principaliter dyscrasię calidæ membrorum naturaliom succurrit; secundació autem refracta in actiuis eius operatione propter aluminis portionem succurrit frigidæ dyuasiæ, & propter hoc redditur confortatiua dictorum menbrorum, derectum prouocat appetitum; somnum conciliat; sputum sanguinis, à quacunque corporis parte proueniat, remouet; renum lassitudini, & gonorrheę succurrit, arenulas expellit; carnositati auxiliatur, dissenteriam sanat; ægretudines ab humoribus adustis excitatus, & scabies, vlcerosa ad vsta, & cutaneos omnes humores sola remouet potatione, vlceribus, quæ vrinæ prouocatio in vesica, facit, confert. Quid pluram morbo esio gallico conferre particulariter declarabitur. Ad exempla dictorum effectuum deueniendum nunc est sumpto principio à primo, quòd potest etiam principalis dici, cum ex eo tollatur præcipua causa reliquorum effectuum: excessus enim caloris ne dum calidos procreat affectus, sed etiam frigidos, attrahens à cerebro ad ventriculum profluuium humorum, ex quo frigiditas in eo introducitur, & inde extenditur ad alias partes corporis, calidæ igitur dyscratiæ conferre hanc aquam non est, qui dubitare possit, ob manifestam ipsius qualitatem ferram procliuem ad tollendum hunc affectum; quemadmodum experimentu it tia compertum, quotidie in infinitis vndequaque ad eam accedentibus, priuatim verò in felici recordatione Domini Alexandri Strozzy, qui cum ingenti hepatis caliditate vexaretur, id nō solum in aspectu demonstrabat, sed quando magis vrgebat, in accidentibus, siti namque assidue cruciabatur, & vrinæ ardorę ex-

essus calidiratis manifesta indicia, & his accidentibus sola potatione huius aquæ liberatus fuit; vnde transactis duobus annis denuo eamdem aquam petere sibi proposuit pro confirmatione acquisitæ vtilitatis. Quod deinde frigidæ dyscrasiæ conferat, licet difficile videatur propter ferri conditionem, nihilominus propter aluminis participationem, & propter minerarum primum principium existens in hac aqua, & alijs ex vi, & facultate sibi insita vt dictum est supra, effectum hunc præstat, sicut sæpe fuit probatum in his qui cachexiam patiuntur, qualis præcipue fuit Domina Cleria vxor Domini Ioanis Berna odiri de Scottis Thernari: eius enim corporis habitus torus erat tumescens, color faciei subpallidus, & pituita dominante corpus totum frigore corripiebatur, adeo vt functiones omnes naturales deprauatæ existerent, quæ postea beneficio huius aquæ ad talem statum peruenerunt, vt munus suum perfectè quęlibet exerceret, vnde rediens secunda vice pro confirmatione acquisitę vtilitatis memoriam reliquit in Ecclesia Parrocchiali affigens picturam Sancti Cassiani. Quod deiectum prouocet appetitum, nulli dubium videri debet: quia propter siccitatem minerarum cum reddatur hæc aqua confortatiua membrorum naturalium, ex consequenti appetitum excitare potest; quemadmodum expietia cognitum fuit anno 1596. in Siluia sextia Romana, tunc temporis mihi commendata ab excellentissimo Asdrubale Minutellio: eius enim ventriculus languidissimus erat ita, vt nihil appeteret, & quando peius erat, altera hora ab assumpto cibo coacta erat ad vomitum non potens cibum ad digestionem conducere; quo affectu libera euasit per assumptionem huius aquæ. Somnum conciliari beneficio huius aquæ difficile non videtur, cum notum sit pręcipuam eius laudem consistere in eo contemperando, quando vt plurimum somnum aufert, superfluum inquam calorem somni fundamentum attenuantem, vt testari potest Dominus Cristophorus de Tabora Hyspanus, eques Hierosolomitanus, Residens Gaetę: confessus enim fuit per septem annos somno caruisse, & eius caput adeo calidum erat assidue, vt uix manus in caluaria firma teneri posset, & eius corpus adeo extenuatum erat, vt parum substantiæ in eo esset, & tamen auxilio huius aquæ somnum recuperauit, priusquā ex his Thermis discederet, vnde etiam breui temporis spacio complexus euasit, & pro confirmatione recuperatæ salutis redijt anno sequenti, & tertio anno exportare fecit
hanc

hanc aquam ad propriæ Residentiæ locum, qua cognita vtilitate Dominus Vincentius Vixochius cum allijs conciuibus Gaetanis male affectis ad hæc balnea accesserunt. Ab expuitione sanguinis liberatus fuit anno 1607. per ebibitionem aquæ balnei magni, & ficuncellæ Alexander Perutinus sutoriam arté exercens, licet passus esset hũ affectũ per tres annos cum dimidio, vt retulit; & licetiam accessit anno sequenti pro confirmatione salutis. Sed hoc consequi posse per has aquas non est mirandum propter aluminis conditionem fluxum sanguinis prohibentem, qua mediante siut etiam abscinditur uimius fluxus menstruorum, ità potest mederi renum lassitudini, & gonorrhę, & certe succurrit, vt cognouit Dominus Vincentius de Martellis anno 1610. dum se his affectibus liberatũ fuisse significauit Domino Scipioni Fortiguerrę Prætori tunc temporis Sancti Casiani. Arenulas expelli ab aqua ficuncellę præter Andream de Comitibus Aretinũ adest etiam Dominus Sripio de Gabriellis Senensis, qui testificari non verebtur, quantam vtilitatem perceperit ab hac aqua in occasione arenularum, quod acquirit à virtute sibi relicta à principio minerarum, nec non etiam ab aluminis conditione, & à ferrea ipsa minera materialem causam arenuilarum purgante, & formalem corrigente; sicuti per easdem rationes succurrit etiam carnositati cum coniunctione aquæ balnei magni participatæ vrea minora; & hoc manifeste apparuit anno 1608. in Paulo Fanenti Mercatori, qui annum agens vltra quinquagesimum, pręmissis multis alijs remedijs absque vlla vtilitate, tandem ad hanc aquam tamque ad sacram anchoram accessit, & eius beneficio ab hoc affectu liber euasit, & eum vidi anno sequenti reuersum in felicissimo statu pro confirmatione recuperatę salutis ad potũ huius aquę. Sed qnid dicam de felici recordatione Domini Francisci Capponij vnici mei Patroni? sit mihi quæso datum in hoc casu duo apponere exempla, tum quia res est magni momenti; tum etiam quia exemplum hoc est mirabile inter alia laborans igitur Dominus Franciscus hoc affectu ad tallem statũ peruenit, vt de ipsius vita ambigeretur, dum annum agens vltra sexagesimum, semiuiusus ad Sanctum Cassianum anno 1602. se contulit; unde postea præter spé omnium accessit talem adeptus sanitatis gradum, vt anno sequenti redierit pro confirmatione acquisitæ salutis; & ad eius imitationem deinde multi ex Florentinis Patricijs frequentant hæc balnea. Hoc tamen fatendum est, quando

& prima

& prima, & secunda vice Dominus Franciscus vsus fuit chirurgico auxilio, vt aquam posset securius emittere, quando factũ non fuit in præalligato Paulo, imo vir istemet absente reddere cum non posset aquam secundo die propter humorum concursũ, & exitus angustiam, siringa vsus fuit maximo cum detrimento, donec reuersus exhibui ei vltra mediam libram olei amygdalarum dulcium, & statim eum in mergi iussi in balneo Caldanæ vspue ad vmblicum per spacium vnius horæ, ex quo postea consecutus fuit tale beneficium mingendi, vt deinde redderet aquã sine aliqua difficultate. Dissenteriam sanare quilibet facillime credet, dum considerabit has ficuncellę mineras primò vi purganti præditas esse, mox stipticitatem sua siccitate inducere, quandò requiritur in huiusmodi affectu, & visum fuit annis elapsis in milite hispano, qui cum passusesset hoc morbo per septem menses, per ebibitionem huius aquæ liberatus fuit, idemque assiduè experior in Incolis etiam in tempore hyemali. Quod humoribus adustis prouenientes ægitudines sanet, & cutaneos omnes humores resoluat, quotidie cernitur & precipuè colligi potest ex carminibus Reuerendi Ablatis Dominici Perinci ab Anticolo campano appositis in principio huius operis, in quibus fatetur herpete se liberatum fuisse hoc balneo, quamdo vana fuit quæcunq; alia adhibita medela. Vlceribus vesicæ, & vrinæ ardori prodesse hanc aquam pro certo habendum est, cum demonstratum fuerit aduiuare carnositati, quæ difficilioris est curationis, licet ista affectio sit etiam curatu difficilis ex Auic. fen. 4 primi lib. cap. 8 asserente, vtilitatem ex aquis thermalibus non sentiri in vlceribus vesicæ imo quandoque magis dolere, donec accidens auferãtur, nihilominus conferre his affectibus cognouit felix recordatio Domini Alexandri Barberini; & propterea dum vixit, quotannis hac aqua vsus fuit; & non tantum hunc effectum præstat assumpta in proprio loco; sed etiam quæ dui in vasis conseruata. fuit sicut se expertum fuisse in Domino Nicolao Cimenes Excellentissimus Benedictus Ponta Senensis mihi retulit anno 1610. Succurrere etiam affectui diabetico ob comunem minerarum cõditionem exiccantem, & corroborantem vidi anno 1608. in Rosato Baptistæ, Acquapendentano, qui occasione bubonis laborans hoc affectu per assumptionem huius aquę liber euasit. Quod tandem morbo gallico confarat, licet videatur absurdum, & contra comunem opinionem attestantem fugienda esse balnea his, qui

morbo gallico patiuntur, vel passi fuerint, nihilominus ratione ostendetur non esse admittendam hanc opinionem in hoc balneo; authoritatibus deinde confirmabitur limitandam esse, & vltimo experientia. Ratione inprimis probatur: quia morbus gallicus cum sit intemperies massam sanguinis inficiens, vnde postea cachochymia nascitur, à qua pustulæ, tumores, vlcera, doloresque dependent, hæc aqua corrigens hepatis intemperiem corrigit etiã sanguinis massã: remota enim intemperie ab hepate qui est fons, & origo sanguinis, remoueri etiam à massa sanguinis est necessarium, & propterea confert aqua ficuncellæ morbo gallico Authoritatibus deiuuare ostenditur dictã opinionem nõ esse absolute admittendam. Guglielmus namque Rondoletius in libello inscripto de morbo Italico cap. 3. asserit, balnea sublimata in doloribus, & vlceribus, nitrosa in vlceribus, & scabie, aluminosa in doloribus aduinare; & addit rationem pro confirmatione propriæ opinionis dicens, balnea, quæ siccant digerendo citra adstrictionem, longo vsu hanc affectionẽ curare posse addatur nunc, sed babneum ficuncellæ tantum abest, vt adstringendo exiccet, quando potius digerens ad cutem expellat quicunque in centro corrupti humoris inuenit, vt quotidie experitur in his, qui eo vtuntur, vel in potu, vel in immersione; idcireo concludendum non valere comunem opinionem in hoc balneo. Similiter corrigi potest dicta opinio authoritate Benedicti, victorij Fauentini consulentis in primo consilio Illustriss. & Reuerendiss. Dominum Bernardum Clesium tali morbo, & eo antiquo affectum ad accessum intrepida ponte sulphuream, & aluminatarum Thermarum, experientia tandem ad limitationem eiusdem opinionis me magis mouet anno enim 1596. accedens ad hæc balnea siluia sextra superius proposita; quãm vis suspicione morbi gallici teneretur, nihilominus maximum beineficium reportauit ex hoc bal neo vna cum balneo magno, quibus vsa fuit in potu, & in infusione occasione diuersorum affectuum per quinquaginta dieum spacium, & ad huc Romę viuere anno elepso intellexi Prętetea accessit ad hanc aquam anno 1600. Iuuenis quędam ex Castro Plani, quæ cum nupta esset viro morbo gallico affecto, intra quinqua menses à concubitu eadem morbo, & ipsa affecta euasit cum vlceribus in gutture, & toto oris ambitu, & cum inopis esset, aliam curationem suqire non potuit, nisi potationem huius aquæ, & per eam intra viginti dies curata fuit, extracto tantum sangui-

ue intra potum ex vena hepatica Omittens deinde supradictum iam affectum bubone, & vsum hac aqua cum iuumento, aliud exemplum magis efficax sine patientis nominatione in medium adducam; & est quando patiens quidam bubone venereo laborans, bubonemque apertum ad huc ferens aqu m hanc potauit per plures dies, maximumque beneficium adeptus fuit, vt significauit mihi per litteras post multos menses. Omitto etiam innumeros, qui mihi retulerunt, passos se fuisse diuersa Symptomata gallici morbi, & vsi fuerunt hac aqua sine detrimento quia proposita exempla sufficere mihi videntur ad ostendendum aquam ficuncellæ, vel adiuuare morbū gallicū, vel saltem exerceri posse sine detrimenti suspicione contra uulgarem opinionem, & hæc dicta sufficiant de effectibus aquę ficuncellæ; quę deseruit etiam pro infusione in cutaneis affectionibus:

De balneo magno, eiusque qualitatibus. Cap. VIIII.

DE balneo magno post ficuncellam tractare uire conuenit, tū quia de pręcedentia cum ficuncella contendit, cum eius potio præcurat ut plurimum ebibitionem aquę ficoncellæ ut infra declarabitur dum tractabitur de ordine assumendi; tum etiā quia conseruat uitam humanam respiciens principaliter imbeccillitatem ventriculi cuius munere præseruatur homo in terris, deinde præseruans pro pagationem succurrendo sterilitati, vt in suis effectibus dicetur. Balneum hæc (ut seruetur ordo propositus) duplici signatur nomine; dicitur enim balneum magnum & dicitur vulgari sermone *Bagno della Terra;* secundum nomen sibi acquisiuit propter propinquitatem, cum sit oppido propinquis reliquis balneis primæ autem inscriptionis duæ redduntur rationes, quarum altera sumitur à quantitate aquæ existente enim vera huius balnei copiosiore vena reliquorum balneornm, propterea vocari balneum magnum comuniter existimatur ab omnibus. Sed ipse huius nominationis aliam assignari posse rationem teneo, eamq; pulchriorem, si dixerim, vocari balneum magnum per aniomasiam, ob mirandos effectos, quos præstat: quid enim pręstantius longitudine vitæ, & lomgeua progeniem, & vtrumque præstare hanc aquam superius notatum est, & clarius infra declarabitur; propter hoc igitur rectè competit huic balneo dictū nomen, per quando distinguitur à reliquis balneis non minus, ac fiat per qua

litatem, quę extrinsece considerata includit ea omnia, quæ dicta fuerunt de ficuncella; & eadem de more sunt examinanda. Quod igitur spectat ad antiquitatem huius balnei, vltra enarrata in proemio huius operis additur, quando in restauratione eiusdem detectæ fuerunt columnæ due lapide, rotundæ, quarum altera est cubitorum trium, & altera cubitorum quinque, & has, sub terram cum laterent, ad lucem editas erigi statutum fuit à fœliciss. recordatione Serenissimi Ferdinandi, ad ostendendam antiquitatem huius balnei, & restaurationem eiusdem factam sed hactenus iacent, cum non fuerit seruatum, quando instituit. Accedunt aquæ ductus lapidei adinuenti à præfato Antonio Snaria Drellio militiæ Radicophorensis locum tenenti, cum capitibus tribus leonum. ex quibus ferri antiquibus aquam ad balnea deseruientia duccię stomachi existimatur pro confirmatione eius, quando dixit Horatius; & alia monumenta quotidie deteguntur, quibus liquido apparet; aquam hanc antiquissimam esse, & uno eodemque tempore extitisse cum aqua ficuncellę. Quod sqectat ad ornatum, in vltima restauratione balneum hoc in tali statu est redactum, ut adsit omnis commoditas inseruiens ad bibendum, balneandum, & ducciandum ventriculum: est enim aqua, quę bibitur desuper coperta, vbi prius ab anno 1575. vsque ad præsenté restaurationem detecta permansit propter terremotus, qui extiterunt eo tempore; insuper adest commoditas deambulandi his, qui aquam bibunt, ut defendantur à pluuia, & vento; accedit commoditas quiescendi pro his, qui vtuntur hac aqua pro infusione, vbi prius non aderat nisi balneum ipsum, & similiter ocus præparatus est cum omni commoditate pro duccia; & tandē totum ędificium est optime accomodatum ad utilitatem eorum, qui egent auxilio huius aquę, non secus ac fuisse existimatur prętentio temporibus per supradicta monumenta. Claritas, & ipsa allicit homines ad eius vsum, cum clarissima sit, & talis semper maneat quouis tempore, nec ei nocet quamuis ingens pluuia, quā do arguit aquam hanc ex maxima profuriditate oriri, cuius profunditatis anno dicto agens ipse annum duodecimum vidi maius indicium, et fuit, quando de mense maij, cum locus iste vexaretur terremotibus per plures dies, propè conseruam huius aquæ talis dirupatio in ipsis terremotibus facta fuit vt impleri non potuerit concauitas, quamuis ab Incolis adhibita fuisset maxima diligentia; donec natura ipsa per alios terremotus eleuauerit

mate-

materiam, et per eam æquiparauit dictam concauitatem, nihilominus conseruæ nullum detrimentum allatum fuit, nec diminuta, nec alterata eius aqua. Hoc tamen est obseruatum ab Incolis in hac aquæ claritate non sine admiratione, quando licet non turbetur ab extrinseca causa, nihilominus turbatur aliquando per paucum temporis spacium sine causa, et hoc succedit, quando ex uno extremo fieri vult aeris transmutatio ad aliud extremum vnum, vel duos dies antequam fiat transmutatio, et turbatur tantum modo per spacium vnius quarti horæ, non vlterius, hoc igitur modo turbari hanc aquam inspectum est, non alio modo, nec alio tempore. Leuitas etiam huius aquæ talis est, ut homines assumant eam vsque ad quindecim, et viginti libras, et una hora post eius assumptionem vix sentiant eam bibisse licet hoc non eueniat solummodo occasione leuitatis, sed præcipuè occasione externæ caliditatis, qua vnitur innato nostro calori, et facilis redditur eius transitus ad singulas corporis partes, ut inspicitur etiam in reliquis potabilibus aquis huius loci leuissima igitur est inter alias, et calidissima supra alias potueri inseruientes; vel fiat hoc respectu prædominij mineræ ad caliditatem dispositę, uel fiat respectu quantitatis aquæ, per quam uidetur pręseruari posse maior caliditas, non est pręsentis negocij, satis est, quando eius calor excedit reliquarum, aquarum calorem, ut dictum est; non tamen est adeo calida, ut impediat potum, nec tribuit ei odorem, uel saperem gustui ingratum, et semper præseruatur eodem calore in hyeme, et in æstate, quamuis eius conserua sit circumcirca exposita ad aerem. De quantitate non est, vt fiat alius sermo præter enarratum, dum dictum fuit insenbi balneum magnū hac præsertim ratione, quia vena huius balnei excedit in quantitate venas aliorum balneorum; hoc tantum addam, quando parte alteratur exius quantitas in hyeme, vel æstate vt diffusius tractabitur inferius, quando loquetur de tempore ad vsum horum balneorum. Interna autem qualitas huius balnei, per quam ab alijs aquis distiuguitur, & proprios effectus præstat, aluminata est à prædomino cum ferri participatione, & æris; vnde callida existit, & sicca. non tamen æqualiter, sed magis sicca, qumque calida, cum stiuitatem acquirat ab omnibus mineris, & in actiuis corrigatur à participante ferro; quando demonstratur ex sapore, ex sedimētis, ex authoritatibus, & multo magis ex uperationibus;

ab omnibus mineris, & in actiuis corrigatur à participante ferro; quando demonstratur ex sapore, ex sedimentis ex authoritatibus, & multo magis ex operationibus; sapor enim. stipticus existens cum aliqua mordicatione, licet leuissima sit, alumen repræsentat, & æs, sedimenta etiam ex distillatione alumen repræsentant, & ferminurit enim ulba cum quibusdam venulis ferreis, & est albedo talis, qualis est aluminis adusti; ex his præterea, quæ supernatant in fonte, colligitur sedimentum quoddam æs repræsentans. Baccius tandem, Sauonarola, & quicumque tractant de hac aqua, affirmant hoc idem, quare ex sapore, ex sedimentis, & ex authoritatibus concluditur aquam hanc aluminosam esse à prędominio, & per participationem ferream, & æream; quando effectus etiam declarant.

De effectibus balnei magni Cap. X.

EFfectus huius balnei, & si colligi possint ex Auic. Aetio, & Paulo Aegineta locis sæpius citatis, nihilominus loquentibus istis de aquis tantum aluminosis, non ex mixtis qualitatibus existentibus, ad experientiam pro exactiori cognitione cõfugiendum est. Ob mixtionem igitur dictarum minerarum colligitur in primis hanc aquam esse alijs fortiorem ad soluendum; vnde intestina à superfluitatibus lauat, & eorum doloribus, atque matricis mirifice prodest; heqatis obstructiones aperit, arenas, & calculos per vrinæ meatus expellit, & propter ea nephriticis etiã doloribus prodest, si per infusionem tantum administretur, vesicamque à suis sordibus mundificat; Insuper, quando ante omnia proponere debueram, ventriculi alteratiuam fortificat; & in matrici affectibus à materia frigida specialem vim habet; sterilitati ex humida causa prouenienti succurit, albas humiditates tollens, matricemque læsam confortans, eidemque menses quouis ordine carentes ad suum statum remittens; quorum omnium exempla (ut moris est, in medium adducentur. Et in primis quando hęc aqua sit alijs fortior ad soleuandum, & intestina à superfluitatibus lauet præter quam quando colligitur ex prædominio aluminis, & ęris participatione, quibus præcipue adsorbitur solutio ventris, ut uisum est supra; ex eo etiam manifestum apparet quando citius hæc aqua digeritur, & emittitur per secessum multo magis, quàm aliæ aquæ potabiles; unde in comuni praxi principium

sumitur

sumitur ab hac aqua, vt explicabitur in ordine seruando in potu, & de hoc effectu non proponetur exemplum, ne appareat sensui nolle credere. Quod autem iuuet intestinorum dolores, & matricis, expertum præcipue fuit in Antonia Diellia Terrigena Sancti Cassiani; hæc enim affecta cum esset huiusmodi doloribus anno 1607. de mense Decembris, nullum remedium ei profuit, nisi ebbibitio huius aquæ; ei namque per tres dies non obstante extremo frigore exhibui aquam istam, & per eam omni dolore libera euasit, propter æris præsertim virtutem abstergentem, incidentem, & resoluentem. Hepatis obstructionem aperire cognouit su pradictus Dominus Vincentius Vizochius à Gaeta, dum accidentibus omnibus ab ea prouenientibus liberatus fuit, denuo accedens ad hæc balnea in sequenti anno pro confirmatione acquisitę sanitatis, & hoc præstat per virtutem dictarum minerarum; sed ad remouendam hepatis obstuctionem notandum est, quando non administratur hæc aqua tantum, verum conuincta cum aqua ficuncellæ: quia hac affectione laborantes cum fint plurimum dispositi ad febres, si sola aqua balnei magni vterentur, facillime in eas inciderent propter aluminis prædominium ad febres excitantis hos, qui sunt ad eam procliues, ut notat Auic. lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 16. Arenulas prætera, & calculos per urinæ meatus expellere aquam istam per eandem uirtutem cognouit Dominus Iacobus de Quaratesis Florentinus anno 1609. de mense namque Augusti in uigilia Sancti Laurentij sentiens Dominus iste à renibus in uesicam descendere arenulam satis magnam seu potius calculum dicam, de mense Septembris petijt hæc balnea, & cum bibisset per plures dies, & aquam balnei magni, & ficuncellæ, nihil per urina emisit donec eum immergi iubens per duos dies in balneo Buxi repetere faci aquam, hanc, & in repetitione statim minxit calculum adeo magnum, ut putauerit fregisse uitreum uas in quo mingebat. Hephritum soluere per infusionem hanc aquam intellexit prædictus Dominus Guglielmus, dum in principio secundi anni prætoratus pro prima uice ita nephriticis doloribus appræhensus fuit ut pro fuerit ei interesse his balneis; ex reiteratis nanque immersionibus huius balnei diu, noctuque factus con dignum fructum prędictorum laborum obtinuit, & expurgatis renibus per urinam solutus fuit à dictis doloribus, quos soluere alio medicamento difficillimum erat adeo fixi humores, & arenulæ in renibus erant. Vesicam à sordibus mundificare quotidie

cernitur, dum puos in bibitioue huius aquæ mingitur ab his, qui uesicæ ulcere laborant; & præcipue uisum fuit annis elapsis in Domino Siluario de Iustinianis. Pro restauratione postea uentriculi adeo efficax est remedium, & tantum propter minerarum facultatem exiccantem, & corroborantem, ut si nihaliud prestaret hæc aqua, hoc solum sufficeret ad eam extollendam, quemadmodum experientia ipsa docet. Dominus nanque Hermannus de Staphis Perusinus uexatus tali uentriculi imbecillitate, ut nullũ daretur efficax remedium pro eius corroboratione, quamuis consilia à Medicis Romanis, Patauinis, & undique petijsset, tandẽ anno 1591. ad hanc aquam pro ultimo refugio se contulit, & eius beneficio hac affectione liberatus fuit, stomachum supponens duccię artificiali, cum non daretur tunc temporis commoditas, ducciç naturalis, ut reperitur in pręsenti; & certe in hoc casu cognoui uerum esse de hacaqua, quando supradictum fuit de Horatio in epistola ad Vallam, scilicet quando esset illis temporibus in magno præcio, vt etiam attestantur monumenta enarrata. In matricis passionibus conferre visit supra notatum, ad viuamentum sterilitatis transeundum est, quando non est minoris momenti quam præ seruare natum sterilitati igitur succurrit, pręsertim si sterilitas proueniat ex humida causa, albisque menstruis, propter aluminis assentiam abscindentem superfluitatum fluxum effusione, sic utvisum fuit anno 1598. iu Illustrissima Domina . . . : de Actis vxore Domini Marchionis Riarij, quę cum sterilis reddetetur ob fluxum alborum menstruorum, & ex epistola Exc. Somis Cecchij data sub die 19. Iunij eiusdm anni apud me existente colligi potest, munere huuis aquæ spoliata albis menstruis, fœcunda facta fuit. adeo ut in tra annũ ab assumptione huius aquę, & balneatione eiusdem puellam pepererit, licet hoc euenerit cum eius detrimento: in partu enim vitam cum morte commutauit. Quid deinde dicam de vxore Domini Ioanis Pauli de Rinuccinis Florentini? hæc accedens anno 1603. ad ex balneum ex sterilitate ad fœcunditatem transijt, & peperit masculum anno 1604. de mense Martij, & secuta est postea in procreatione aliorum filiorum. Quod si alia de causa proueniat sterilitas, nempe ex superflua caliditate diminuente menstruas purgationes, huic succurrit aqua ficuncellæ, & vnitæ istæ aquæ sterilitati ex dicta causa succurrunt, vt uisum fuit in Illustrissima Domina Beatrice uxore Domini Marchionis Francisci de Malesotnis, & in hoc casu

excessus

excessus caliditatis potest etiam sufficere potus aquæ ficuncellę quemadmodũ factum fuit annis elapsis in Dõnia Vrania de Palmerijs vxore Domini Aliprandi de Iunadoris Senensis. Quod tandem menses muliebres restituat propter facultatem aperiendi obstructionem in quauis parte existentem, testis mihi erit inter alias honesta Iuuenis Theodora à Fuligno, quæ tali vteri obstructione laborabat, ut naturales purgationes, ne dum prostratæ sed ablatæ omnino essent, & auxilio huius aquæ anno 1609. restitutæ ei fuerunt, quemadmodum ab eadem intellexi anno 1610. cum denuo accessisset ad hæc balnea pro confirmatione acquisitæ salutis; & non tantum hos effectus procreat, sed etiam mulieribus sine causa abortientibus prodest propter uim corroborandi renes, ut sæpe expertum fuit ab Incolis per infusionem. Quare hilari fronte ad hoc balneum accedant, qui egent eius auxilio, vel in potu, uel in infusione, vel in duccia; quibus omnibus modis deseruit, ut ex dictis colligitur.

De Balneo Buxi eiusque qualitatibus Cap. XI.

SEquitur prope balneum magnum aqua, que dicitur Buxi & à Sauonarola dicitur Grottæ, primum nomen fuit ei impositum propter buxum natum iuxta hoc balneum, alterum nomen sibi usurpat propter situm, in quo nascitur hęc aqua: iacet enim ueluti sub Grotta balneum hoc, quod non accidit reliquis balneis existentibus in locis planis; & hæc est vniuersalis opinio inscriptionis verum à comuni recedens alias rederem inscriptionis rationes dicens in primis inscribi balneum Buxi ad demonstrandam pulchritudinem huius aquæ deinde ad significandum effectum principalem eiusdem: ut enim buxus inter plantas æstimatur eo, quod semper luceat, & virescat ita minera huius aquæ æstimatur, cum luceat super alias mineras. Præterea interalios effectus huius aquæ hic est admirabilis, quod semimortuum reuiuiscere facit, & eum floridum pręseruat, non secus ac florida semper buxus permanet; idcirco non casu, sed arte est ei impositum hoc nomen, per quod non solum distinguitur ab alijs balneis sed etiam aliquid colligitur ex eius essentia, & effectibus, ut infra apparebit quando enarrata erit externa eius qualitas, in cuius enarratione breuibus me expediam: quoniam de antiquitate

nihil adest notatu dignum; neque mirandum est, quod in restauratione fit quidquã inuentum, cũ non daretur in angustia huius loci commoditas erigendi adificium megni momenti quamuis qualitas,, huius aquę illud sibi erigi requireret sed antiquum hoc balneum esse testantur authores loquentes de eo, dum de alijs balneis tractant, & ex traditione seniorum collectum fuit balneum hoc extitisse vna cum reliquis. Hoc tamen verum est, qu do nostris temporibus ad meliorem statum redactum est: adest enim commoditas ebibendi hanc aquam, & balneandi, ubi prius à pluuia non poterant defendi accedentes ad hanc aquam. Pręseruarur etiam clera semper cum ei non admisceatur aqua desuper veniens, & cum claritate contenpit lenitas, & celiditas permanens semper eadem: vnde alliciuntur homines ad eius vsum. De quantitate illud est notandum, quod balneum Buxi duabus venis participat: altera enim de seruiens ebibitioni, & infusioni copiosir est, & calidior, altera verò deseruiens infusioni tantum modo est minor, & minus calida; & origo vtriusq; aquæ distat circa detem cubitos, nec alteran vnquam discernitur aquæ quantitas in aliqua dictarum, aquaũ, sicuti nec vanari internam qualitatẽ in eis inspectum est: Huic enim balneo inter balneum magnum, & sicunceilam á natura constituto dedit eadem natura vt, participaret ferè æqualiter ijsdem mineris, nempe alumine, & ferro propterea experientia comprobatum est in his mineris repactus possidere qualitates, cum calefaciat citra hepatis manifestam offensam, & hepati conferat aduiuans eodem tempore ventriculo, quod non suceidit in supradictis aquis, & licet per hoc ab illis distinguatur, adest tamen aliud, quod hanc aquam ab enarratis distinguit, eamq; reddit abmirabilem in suis operationibus; & hoc est auri partlcipatio atque tutiæ; quod colligitur ex eo quod residet in casu, & cursu huius aquę tutię simile, splendidoque tinctum colone, & inspicitur etiam in distillacione, quod enim resedet, est adeo differens ab alijs aquis, vt appareat omnino separata ab illis, & inspicitur in eo tutia ipsa cum auri participatione, quod sepe sepius expertus sum, & pręsertim annis elapsis id cognitum fuit ab Exc. Phsicis Ill. & Reuerendiss. Cardinalis Bandinei assistentibus ei his baineis, & exposcentibus, vt denuo has aquas distillarem, quò sensibiliter pro ut fieri potest, earum mineras viderent, quemadmodum factum fuit, consistit igitur qualitas intertia huius aquæ in alumine, & fero cum auri participa-

rioue, & tutiæ; unde in actiuis refactam habet virtutem, & temperatam; in passiuis antem ad siccitatem tendit, cum minerę omnes eidem in hærentes vnamines siccitati sint subiectæ, vt supra notatum est, & effectus ipsi demonstrant.

De effectibus Buxi Cap. XII.

EFfectus huius aquæ plures sunt, & diuersi: participans enim mineris balnei magni, & ficuncellæ procraat effectus similes illis ventriculi digestiuam confortans, deperditum prouocans appetitum naturalium membrorum obstructiones aperiens, renesque, & vesicam ab arenulis mundificans; sed hos effectus cum non ita efficaciter faciat, quemadmodum efficiunt supradictæ aquę propterea in his non vltra progrediar sed ad peculiares eius effectus deueniam, & eorum exempla proponam Præcipuè igitur capitis affectibus prodest; uisus debilitati, pustulisq; & lachrymis oculorum confort, præsertim coniuncta cumDucciæ aqua, vt in fra declarabitur in capite Ducciæ. Affectibus præterea procedentibus à melacholia prodesse non est mirum, cum hoc appareat ratione mineræ existentis in hac aqua, sed reuiuiscere tendentem ad mortem, hoc certe est mirabile, quod fit, dum hecticis confert, & per hunc effectum satis, superq; demonstratur auream mineram adesse aquæ Buxi, cum nulla alia, minera possit similes efficere effectus. Quod autem effectum istum prętat probatum fuit elapsis annis, in Iosefo fossumbronio Aretino: iste enim hectica laborans cum consuleretur à medicis ad accessum, vel aquæ albæ in agro Pisano, vel Thermarum Sancti Cassiani, ad hæc balnea se contulit, & me annuente vsus pręcipue hac aqua hectica liberetus fuit, & anno sequenti accedentem ad eadem balnea pro confirmatione pene cognoui, adeo mutatus erat in aspectu. Quod deinde visus debilitati ab humiditate pręsertim procedenti conferat, pustulas, & lachrymas oculorū aufferens, perpulchrum est exemplum Domini Hierunimi Gilioli ferrariensis, qui oppressus copiosis lachrymis inuoluntarijs cum carie in angulo oculi dextri existente, nec non etiam eadem de causa uisus debilitate affectus, accidens ad hæc balnea āno 1608 per hanc aquam, & Ducciæ stillicidium liber euasit à lachrymatione inuoluntaria, & carie; visusq; debilitatem confortauit, ut ex eius litteris apud me existentibus inspici potest, per quas fate-

tur agnoscere ab his aquis dictum iuuamentum, subiungens velle denuo eas adire, quemadmodum fecit, & hunc casum si uidisset Andreas Baccius maiorem occasionem habuisset laudandi balneum istud in 6. de Ther. cap. 16. Capitis dolori conferre medi-antibus his mineris optime expertus fuit Lactantius de Nutarellis à Castro Cellarum, dum hoc affectu laborans anno 1602. per plures dies, & hebdomadas facta vniuersali purgatione consultus fuit à Medicis ad assumptionem ligni guaici, à quo dictus affectus potius exacerbabatur, quàm mitis redderetur, diu noctuque eum quiscere non permittens; me tandem vocauit, & eum ab hac cura remouens potare iussi hanc aquam, nec progressus fuit vltra tres dies, quod dolor mitis redditus fuit, & intra decem dies eo penitus liberatus, nec vnquã post hac passus fuit hoc affectu super viuens vndecim annis. Vltra prædictos efectus balneum Buxi ad iuuat ad tollendos cutaneos pruritus, si quis in eo immergatur, & præcipue id præstat primum balneum, quod primo ingressu columnatus reperitur, & huius balnei aqua cum moderatè calida sit, redditur similis aquæ dulci in actu, & potentia, & in hac permanere quilibet posset duabus horis, & vlterius sine fastidio, & nocumento.

De Piscina, eiusdemque qualitatibus Cap. XIII.

SVperest ex aquis potabilibus aqua Piscinæ quæ ita nuncupatur non ad imitationem probaticæ Piscinæ; sed quia inculta semper fuit, nec conseruatur cum ea diligentia, qua conseruantur reliquæ aquæ; cum igitur nunquam fuerit adificium circa ipsam, propterea uocatur aqua Piscine, non balneum, & per hoc nomen distinguitur à reliquis balneis; à quibus etiam distinguitur suis qualitatibus: ornatus enim nullus adest, cum sit in loco aperto, & inculto, similiter non est clara, sed turbida oritur, & talis semper præseruatur, vnde etiã nõ est adeo clara sicut dictæ superius. In caliditate non cedit alijs, & in antiquitate, cum de ea faciant mentionem etiam, quicumq; tractant de his balneis, de quantitate non potest fieri iudicium: quia vt modò oritur in vno loco, modò in alio, sic variatur eius quantitas, ex quo per externã qualitatem distinguitur ab alijs potabilibus aquis, & multo magis per internam, cum salis mineram sola possideat, licet postea conueniat in alumine, & ferro cum omnibus. Quod autem his

mineris

mineris participet, colligitur ex sedimentis, sapore, & operationibus: sedimenta enim in distillatione alumen, & ferrum demonstrant, & representant gustui salsedinem cum quadam stipticitate solita relinqui ab alumine, similiter effectus hoc declarant.

De effectibus aquæ Piscinæ. Cap. XIV.

OPerationes huius aquæ licet diuersæ sint propter minerarũ mixtionem, pręcipua tamen eius laus in his duabus consistit, nempe in purganda, & emendanda matrice ab omni humore super abundante, ut quotidie experiuntur mulieres huius loci, & in resoluendis colicis, & iliacis doloribus ex frigida, & humida causa prouenientibus; quinimo hos antiquatos, & ferè incurabiles resoluit, ut sæpius cognitum est, tam si hæc aqua administretur in potu, quàm si etiam clysterizetur: præcipuè autem expertus fuit effectum hunc præstare in propria parsona Excll. Philippus de Leonidis à sancta Flora Phisicus iste enim cum sepe vexatatur his doloribus, auxilio huius aquæ in potu assumpte, ab illis liberatus fuit, ex quo negligi non debet omnino hæc aqua, quàmuis non sit ornata, sicut aliæ: Non sit tamen, qui miretur, nisi circa ipsam fabriccetur, hoc enim succedit, quia in his operationibus respondet Maiori ex paote aquę balnei magni, & quod magis refert, quia hæc aqua sua cœnositatæ non allicit homines ad usum, vt faciunt aliæ; propterea nō videtur condecens circa ipsum erigi aliquod adificium, & hæc dicta sufficiat de aquis potabilibus.

De Balneis infusioni dispositis. Cap. XV.

CVm Balnea infusioni deseruientia de pręcedentia cõtendant cum aquis potabilibus, propterea non erit præter rationẽ; si absoluto sermone aquarum potabilium ad tractandum de ipsis descedatur antequam de alijs agatur: præterq; quod iure merito secundum vsurpant locum: tum quia deseruiunt pluribus infirmitatibus, quàm deseruiant stilicidia, & balneum luti, & propterea sunt magis vsualia huiusmodi balnea, tum etiã quia balnea pro infusione accomodata sunt in maiori quantitate, his igitur de causis secundo loco fieri debet de his sermo, sumpto principiò à balneo Sanctæ Mariæ,

De Balneo Sanctæ Mariæ, & eius qualitatibus. Cap. XVI.

QVæ ratio est inscriptionis huius, balnei, eadem etiam est causa, ut ab ipso sumatur principium: sunt enim ex hoc balneo tot effectus admiratione digni, ut impossibile videatur eos sequi posse absq; aliquo diuino auxilio, quod inspicientes antiquitus Incolæ Deiparæ virgini dedicarunt existenti vnicum medium salutis corporis, quemadmodum est animæ. Ob mirabiles igitur effectus à balneo Sanctę Mariæ sumptum est initium; sicut ad ostendendos eosdem effectus nomen hoc fuit ei impositum per quod distinguitur ab alijs balneis, à quibus distinguitur etiam per qualitates proprias, non temen in antiquitate, cum in eius restauratione collectum sit non esse minus antiquum, ac sit balneum ficuncellæ, & de eo fiat mentio à scriptoribus unà cum alijs balneis. Ornatus autem est maximi momenti, cum in hac restauratione constructa sint tria balnea in eodem cursu, in quo est balneum ficuncellæ eidemq; columnatui subiecta, ut maxima cum commoditate quilibet eis uti possit sine alterius impedimento, distincte positis pro uiris, & mulieribus; limpidissima etiam est hæc aqua, omniq; odore carens, ita ut immergi in ea vnusquisque gaudeat, inspiciens eam adeo claram, & foetore carentem. Occurrens caliditas perterrere facere videtur in eius ingressu, cum sit satis calida præsertim post pręsentem restaurationem, in qua factum est, ut non intromittatur aqua in balneum per aquæductum, ut prius intromittebatur; sed oriatur aqua in ipsismet balneis, & in qualibet balneo reperiatur aliqua vena, qua mediante præseruatur caliditas in dictis balneis, & quo maior vena reperitur, conseruatur etiam maior caliditas. vnde accidit, quod exdictis tribus balneis tertium propè ficuncellam existens cum contineat intra se uenam minorem, conseruetur etiam in eo minor caliditas licet eadem aqua pertranseat æqualiter per dicta tria balnea mediantibus foraminibus existentibus indictis balneis, & quoniam tertium hoc balneum non est ita calidũ, sicut alia duo, orta fuit in aliquibus dubitatio, quod hæc aqua prodesse non posset: sed in rei veritate de hoc non est dubitandũ; quinimo potius dicendum, quod cum caliditas maior citius penetrare faciat virtutem, efficiet caliditas minor in longiori tempore, & cum maiori tollerantia, quod maior caliditas effieeret

breuiori

breuiori, & erit salubrior pro conualescentibus, senibus, & pueris, qui ab exuberante caliditate potius vexarentur, quam reciperent beneficium. est igitur hæc aqua pertransiens ex vno in alterum balneum satis calida præsertim primi, & secundi balnei propter venam in ipsis scaturientem in aquali ferè portione, & preseruatur in his eadem quantitas semper, cum defendatur summo cum artificio à pluuia quamuis ingenti. De leuitate nihil refert tractare: quoniam ebibitioni non deseruit, licet ipsius leuitas cum claritate concurrat. Qualitas autem principalis huius aquæ in alumine consistit in primis, mox inferro, vnde in actiuis temperata existit, in passiuis verò ad siccitatem de more aliarũ aquarum mineralium tendit, & quod talis sit ex eo, quod residet, iudicatur, ex effectibus, & ex consensu eorum, qui da ea tractant: quod enim residet, & sapit, alumen, & ferrum repræsentat; effectus etiam sunt proprij aluminis, & ferri: quia propter siccitatem harum minerarum hæc aqua prohibet fluxum super fluitatum à quauis corporis parte, dum quis in ea immergitur, & propter temperamentum caliditatis omnia membra confortat. Qui tractant deinde de hac aqua, conueniunt de mineris dictis, & ita per hanc qualitatem distinguitur ab alijs aquis, & in frascriptos præstat effectus, licet aliud concurrere existimen in eius effectibus, ut infra declarabitur.

De effectibus Balnei Sanctæ Mariæ. Cap. XVII.

Effectus huius balnei tales sunt, ut merito probaticæ Piscinæ conparari possit, mirifice nanq; prodest omnibus neruorũ affectibus ab humida causa procedentibus coniuncta cum caliditate, vel frigiditate; propterea parabysi, conuulsioni, à frigidis, & glutinosis humoribus tremulis, ac stupidis, podagricis, & arthriticis confert: iuncturas confortat, & eas à dolore preseruat, humiditates prohibens ad ipsas defluentes; propter, quod etiam sciaticę conferre potest, nec unquam omnes huius balnei effectus connumerare possem; idcirco satis sit cogitare, virtutem diuinam infundi in hanc aquam, & propterea per eam sanari ferè omnes infirmitates iuncturarum, & neruorum, & hæc omnia efficere existimo non tantum per virtutem dictarum minerarum apparentium, sed etiam per uirtutem alterius mineræ non apparentis, sed existentis, vt alias dictum fuit; cum sulphuris proprium sit ner-

uos

uos emollire, & duritres resoluere, ut ex Aetio, & Aegineta coligi potest, hos autem effectus sequi ex præsenti balneo in sta-scripta exempla indicant, & primo cum adolescens essem, vidi ad hoc balneum accessisse quendam Reuerendum Iacobum hyspanum cruribus, & coxis in vnum contractis, & ligneum instrumentun infra anum portantem, & calapodia in manibus, ut posset ita exercere corpus suum, & hic per triennium vsus hac aqua statutis temporibus ab hac infirmitate liberatus fuit, erigens se primo anno super duabus cruccijs, secundo anno alteram deponens, & tertio sine ullo auxilijo deambulans, quam gratiam sicut se Deiparæ commendans obtinuit, sic per annum integrum amore Dei astitit templo dictæ Virgini hoc in loco dicato, & in eodem sacrificium missæ celebrauit; eundemq; postea per plures annos vidi assistentem in Templo Diuæ Mariæ dicato extra portas Auculæ, seu Aquæ pendentis versus Sanctum Cassianum. Quod podagricis, & artitricis doloribus conferat hoc balneum compertũ fuit in Dõino Petro de Sanis Senensi, qui doloribus his ita oppressus erat, ut nihil penitus exerceret corpus suum, sed assiduè cogebatur permanere in lectu, nihilominus ad hanc aquam confugiens cum baculi tantum auxilio deambulauit, propriaque negocia exercuit: In casu paralytico pulchrum est exemplum fatiæ vxoris flammunij Cassianensis, quæ in instanti oppressa à summo vsq; deortum in latere dextro paralysi anno 1605. beneficio huius aquæ con comitante Duccia intra mensem curata fuit; & vixit deinde quatuor vnnis sine vllo impedimento. Sed pulchrior cura fuit anno 1609. cuiusdam Bartolomei à Pomartio, qui apoplexia laborans linguam tantum exercebat, & permansit hoc in loco vltra quinquaginta dies, premissi q; solitis præparationibus per triginta dies caput Ducciæ supposuit, & corpus exposuit balneo Sanctæ Mariæ idemq; balneum post mensem frequentauit, donec permansit in hoc loco; & licet exercens hanc curam per dictum tempus non cognosceret vllum beneficium, nihilominus domum reuersus post duos menses cœpit intelligere vtilitatem, vt moris est harum aquarum, & omnium Thermarũ, in diuturnis præcipue morbis, sicut refert Excell. Iulius Iasolinus in fine secundi libri de Remedijs naturalibus Thermarum Ischiæ insulæ, & nullo alio ad hibito auxilio in hyeme ipso è lecto surrexit, simpliciq; baculo innixus deambulare cœpit, vt ipse met retulit mihi anno 1610. reuersus ad hæc balnea ad confir-

mandam

mandam salutem. Quod vincturas confortet, & ad eas defluentes humores prohibens à dolore præseruet, cognouit annis elapsis Dominus Fabius Vgolinus Senensis, qui in humero, & bracchij dextri cubito tali dolore infestus fuit per multos dies, & menses, vt numquam quiescere potuerit, donec petierit sacram hanc aquam. Præterea admodum Reuerendiss: Dominus Desiderius à monte Reali Abbas Cassinensis sæpissime oppimebatur contractionibus, vulgò appellatis ingranchi, ingenibus, & cruribus; & vsus hoc balneo, & Duccia per spacium quindecim dierum anno 1601. liber euasit ab hoc affectu. Quod stupidis conferat, spectabilis Ioanis Baptista à montecastello anno 1609 expertus fuit, qui nullũ sensum cognoscens in coxis, & cruribus erectus stare, nec deambulare poterat, & accedens ad hoc balneum de mense Septembris commoratus fuit in Sancto Cassiano per totũ h yemem, & quotidie immergens se in hoc balneo, & interdum in balneo magno pro maiori commoditate, dum aer mitis erat, ad talem statum in hyeme ipso peruenit, vt proprijs pedibus, & sine vllo auxilio ab oppido ad balneum iter ageret; eumdemque vidi Perutijs post multos menses in optima sanitate constitutum. Aliaque possem de hoc balneo exempla examinare, nisi cognoscerẽ, satis superque esse nominata ad ostendendam celebrem huius balnei famam.

De Balneo Sancti Georgij, & eius qualitatibus. Cap. XVIII.

PRopè balneum sanctæ mariæ sequitur balneum sancti Georgij, id circo absoluto tractatu balnei sanctæ Mariæ transeundum statui ad ipsius sermonem, præsertim quia in proprijs effectibus non est postponendum balneo sanctæ mariæ; vnde fuit ei impositum dictum nomen, vt significaretur etiam ipsum virtute diuina suos effectus procreare per intercessionem alicuius Diui, nec alia ratio reddi potest huius nominatiõis, qua mediante distinguitur ab alijs balneis. Qualitates autem huius balnei in aliquibus redduntur similes alijs, nempe in antiquitate, claritatæ caliditate, & quantitate, proptearea de his non fiet alius sermo. sed ornatus, & si non respondeat, ipsius meritis, nihilominus reperitur in meliori statu, quàm fuerit pręteritis temporibus: quia vbi prius nemo poterat vti hoc balneo nisi in conspectu vniuscuiusque, in præsenti constructus est locus distinctus, & vndique

clausus cum duabus duccijs pro maiori commoditate egentium eius auxilio, & melius etiam disponetur, cum datus sit ordo à Serenissimo Cosmo ampliandi eius ædificium. Interna autem quas illas conuenit, & ipsa cum alijs in alumine, & ferro, sed discrepat æris minera, qua participat non in pauca quantitate, vt facit balneum, magnum, sed in maiori copia, vnde calidum est, & exiccatiuum, & ratione æris abstersiuum, subtiliatiuum, & resolutiuum, apparent istę mineræ in sedimentis remanentibus in distillatione, & cursu eius aquæ, & multo magis ex effectibus colliguntur: sedimenta enim in distillatione denotant alumen, ferrũ, & æs; licet æris minera clarius demonstretur in sedimentis relictis in cursu ipsis aquæ; & clarissime tandẽ apparet in effectibus.

De effectibus Balnei Sancti Georgij. Cap XIX.

IN proprijs effectibus, cum dixerim supra, balneum hoc admirandum esse, ne uidear id temerè dixisse, ipsius effectus nunc proponam; & in primis, quod tribuit Gal. 3. Met. æruginiæris dicens, æris æruginem magis rodere, & carnem minuare, quàm vitriolum, & calchantum, hoc idem conuenit huic balneo; quod inde conspicuum apparet quia excellens eius laus est in vlceribus fraudolentis, & corrosiuis; quemadmodum vidi anno 1602. in sphacelatione manus cuiusdam pauperis a Mon epo itiano, qui pauper, & egenus corpore vndique male affecto cum accessisset ad hæc balnea nulla præcedenti præparatione, vt solent similes homines, vno, eodemque tempore, & dolore, & vlcere depascente in manu dextera correptus fuit, & nullo alio adhibito remedio accedens ad stillicidium huius aquę intra res dies liberatus fuit à malignitate, nec vlterius progressa fuit sphacelatio. Præterea maximam sibi laudem vsurpat in vlceribus cauernosis, & antiquis consolidandis, vt anno 1598. probatum fuit in Domina Delbora de Scottis Thernana vxore Capitanei Augustini de Sciamannis, hæc enim diu vexata fuit in femore vlcere cauernoso strictum habente orificium, atque angustum, sed profunditatem satis latam, sensumque effugientem, & sæpe dolore tentata febri corripiebatur, vnde virtus etiam adeo debilitata erat, vt è lecto surgere uix posset, & umbra solum corporis apparebat, nihilominus intermissiue respectra debilitatis uirium vtens huius aquæ stillicidio per duos menses domum reuersa breui temporis

spacio

spacio summam sanitatem consecuta fuit pluresque filios peperit
veretulit mihi Dominus Iouanes Bernardinus Scottus eius frater
germanus, quando ad hæc balnea cum vxore accessit eius exemplo
ductus, ut dictum fuit supra in effectibus aquę ficuncellæ,
idemque confirmauit dictus Dominus Augustinus anno 1613.
cum petijsset hæc balnea pro interesse proprio. Vlceribus deinde
cruciantibus, & dolorosis conferre expresse probatum fuit anno
1605. in Domino Ioanis Maria de Signis Florentino, qui tali ulcere
affectus uulgo dicto spina uentosa, cum maxima ossis corrosione,
& dolore ita, ut dum mederetur, nullatenus aeré posset
sufferre quàm uis ostio, & fenestris semper clausis curaretur, accessit
ad hoc balneum cum maxima uirium extenuatione concomitante
febricula, & auxilio psincipaliter huius præciosę aquę
dolore priuatus fuit, os corruptum extractum, ulcusque sanatum
penitus in spacio trium annorum, quibus frequentauit hoc balneum:
dixi principaliter auxilio huius aquæ liberatum fuisse: quia
me suadente usus etiam fuit alijs aquis pro complimento curę,
ut fieri semper debet in huiusmodi uasibus, sicut demonstrabitur
infra, dum tractabitur de ordine utendi his aquis sit igitur ulcus
cuius uis qualitatis, siue sit uerminosum, ut uidi annis elapsis in
quadam muliereco affecta in cruribus, siue sit tale, ut omnibus
rite, decenterque factis sanari non possit ob coecam qualitatem,
nobisque occultam existentem in parte ulcerata, ulceris sanationem
prohibentem, cuius qualitatis uidi plura ulcera in cruribus
Domini Ferdinandi de Boninsignis à Colle uallensi anno 1606.
siue sortiatur quodis aliud nomen, in omnibus pręualet diuinum
hoc balneum. vt optime cognouit anno 1613. magister Geergius
Romæ sericarius testor ita vlceribus in ambitu corporis affectus
cum tali dolore, ut quiescere nullibi unquam ualeret, &
sanatus fuit per hoc balneum. est tanedm tantæ uirtutis, ut possit
etiam conserre hernie carnosæ, & hoc expertus fui in Domino
Fabio de Maccabrunis Senensi, dum ipsum hoc affectu oppressum
huic stillicidio subijcere consului, quo mediante ad fracturam
uenit hernia, & extra cta fuit materia adeo tenax, ut resisteret cuius
incidenti ferro, & exinde sanatum fuit ulcus, unde non immerito
dixi in proprijs effectibus hoc balneum non esse post ponendum
balneo, Sanctæ Mariæ, & de iure factum fuisse, ut alicui
diuo dedicatum fuerit.

De Balneo Caldaneę, & eius qualitatibus. Cap. XX.

CAldaneæ balneum, vulgo dictum la Caldagna, nomen assum psit à qualitate caloris: est enim eius aqua adeo calida, vt primo ocutsu vix sufferri possit; & si esset hoc balneũ vndique clausum, vt sunt reliqua balnea, absque dubio, nemo diu permanere in eo posset excedit igitur caliditas huius balnei caliditatem aliorum, & propterea nomen dictum fuit ei impositum, vt distnguoretur a reliquis; sicut ab ijsdem distinguitur in proprijs qualitatibus, non tamen externis, in quibus conuenit cũ alijs, & propterea con fiet de eis sermo; sed internis qualitas enim principalis huius balnei non solum consistit in alumine, & ferro, sed etiam in sulphure, non tamen eo modo, quo reperitur in alijs, sed expresse ita vt aqua ista sit valde aluminosa sulphure participans, & ferro, quod ex residentia, odore, & oparationibus conspicuum redditur: oder enim huius aquæ aliquid sulphuris spirat, & multo magis illud demonstrant sed menta quæ licet sint lba, retinent tamen colorem sulphuri similem Minera igitur huius balnei est alumen, sulphur, & ferrum, vnde in actiuis calidiscimam esse eius aquam concludendum est non minus in potentia, quàm sit in actu, & in passiuis siccitati subiectam esse, vt effectus ipsi demonstrant.

De effectibus Caldaneæ. Cap. XXI.

EFfectus huius balnei, & si plures sunt, eique præcipue conueniant effectus attributi à Paulo Aegineta, & Aetio locis sæpius citatis aquis vniuersaliter sulphuratis, nempe neruos emollire, tenesmi dolorẽ sedare, ad articulorũ defluxũ, ad resolutionis cõuenire, & similia, nihilminus quoniã in huiusmodi effectibus conuenit cum balneo sanctæ Mariæ, propterea peculiares eius effectus in medium adducam. In primis igitur cum sit calida, & valde exiccatiua, præcipuam consequitur laudem in mundificandis cutaneis affectionibus in frigida præsertim, & valde humida scabie, & de hoc effectu exemplum omittã, cũ quotidie vnusquisque hoc videat, & non tractetur de impossibili hoc ei conuenire posse. Confert præterea omnibus frigidis, & humidis ęgritudinibus, doloribusque ab eadem causa prouenientibus in quacunq;

corporis parte fuerint, & præsertim Ischidiacis, vt compertum fuit annis elapsis in felici recordatione Illustriss. Domini Flamminij Osterij. Colicis, & nephriticis doloribus prodesse expressè sensit anno 1611. Reuerendiss. Don Placidus seuensis monachus Cassinensis, & ante ipsum cognitum fuit in Paulo Fanensi ddsuper notato. Vltimo in hoc sibi egregiam laudem, & famã vindicat, quod Rustici robusti, ac fortes existentes, & munda corpora habentes sine febris suspicione, ut omnes etiam fere incolæ faciunt, si assiduo labore, uel longo itinere grauameri in membris, confractionem, seu lassitudinem patiantur, ingressi balneum hoc statim prouocato sudore liberantur, & omnes hos effectus præstat hoc balneum absque nocumentis solitis inferri à sulphuratis aquis enumeratis à dictis authoribus; stomachum namque, & si debilem reddat, vt faciunt ferè omnia balnea, quę pro infusione deseruiunt, illud tamen non eneruat, nec euertit uc ipsimet asserunt euenite in alijs aquis sulphriratis, & hoc non accidit in præsenti balneo propter participationem aliarum minerarum refrangentium necuam sulphuris operationem.

De Balneis de Fraticellis, & eius qualitatibus: Cap. XXII.

EX Balneis pro infusione tantum deseruentibus restat balneum de Fraticellis, quod cum, distet ab oppido per milliare unum cum domidio, non præseruatur cum ea diligentia, qua præseruantur alia, non tamen idcirco detrahitur quidquam de eius uirtute, cum sit hęc aqua, & ipsa admiranda in proprijs effectibus ut infra elucescet. Inscriptionis autem causa alia non assignatur uniuersaliter, nisi quia antiquitus, pro pe hoc balneum reperiebatur Conuentus quidam Monachorum militantium sub regola Sancti Gulielmi, cuius uestigia ad huc extant, & eius etiam memoria præseruatur in præsenti in Ecclesia Parrocchiali sancti Cassiani assistens in ea unus ex parrocchialibus sub titulo Prioratus sancti Gulielmi ab Acerona. Antiqui uerò existimantes hos Monachos usos fuisse hoc balneo pro infusione, imposuerunt ei nomen de fraticellis, ut per hoc nomen ab alijs distinguerētur. sed potius ipse dixerim ita inscriptum fuisse ad ostendendum eius inopem statum similem statui Fraticellorum, uel ita inscriptum fusse ad ostendendum miserrimum, ac calamitosum statum egentium hoc balneo, ob immunditiam sui corporis ab omnibus neglectorum,

glectorum, non secus ac parui fiunt vulgariter pauperes fraticelli; per hoc igitur nomen distinguitur ab alijs balneis. Quod autem spectat ad eius qualitates externas, breuibus expediam: de antiquitate in primis dicere possum, quod licet Sauonarola, & Baccius de hoc balneo mentionem non faciant, nihilominus balneum hoc antiquissimum esse existimatur, eum propè ipsum quotidie reperiantur ab Agricultoribus uestigia adificiorum, antiquitatis manifestum indicium. De ornatu non uereor asserere, quod licet uideatur hæc aqua in aspectu gentium parui facienda, cum non perbelle tractetur, ut supradictę aquę, & eius ædificium cum dirutum non restauraretur, & neglectum maneat, quasi sit nullius roboris, hoc ei certè non conuenire, ut in proprijs effectibus demonstrabitur, sed ei accidere primò propter oppidi distantiam, secundo, & principaliter quia nō est locus, in quo possit aliquod ædificium permanens fieri, cum ori tur hæc aqua propè magnū fossatum aptum consumere omne ędificium, & disperdere aquam ipsam, si circa eam tentaretur adificari, unde melius est, ita inculta permaneat, quo præseruetur pro salute humana. De claritate caliditate, & quantitate nihil dixerim: quia aeri cum sit exposita hęc aqua, potest etiam in his qualitatibus uariari, & ideo satis sit pro his dicere, quod hac aqua uti absolute non possumus nisi em fine ueris , & estate. Interna uerò qualitas ultra comunes mineras consistit in bitumine, ex quo uerificatur dictum Gal. 4. de San. tuen. deponentis Bituminis uim inesse aliquibus aquis Thermalibus, et quod talis sit hæc aqua, inde conspicuum redditur, quod pinguis est, et unctuosa, et actuali caliditate lenis est ita, ut laborantes per diem ferè absque in commodo in eadem aqua possint permanere, cum igitur talis sit hæc aqua, redditur in actiuis calida, et in passiuis sicca, sed cum mollificatione, vt ipsius effectus demonstrant.

De effectibus aquæ de Fratscellis. Cap. XXII.

EFfectus huius aquæ licet plurimi existant, nihilominus pręcipua eius laus in his duobus consistit. Scabiē in primis ulcerosam, et antiquatam, nec non serpiginosam sanat, quod in multis sum expertus, et pręcipuè anno 1610. in Ioanes Baptista à Castro Cellarum, qui cum in toto corpore huius modi scabie laboraret, nec aliud remedium ei prodesset, præmissa uniuersali

purga-

purgatione, cum immergi uissi in hanc aquam, in qua cum permansisset usque ad tres hores mane, & sero per decem dies, dicta affectione liberatus fuit. Deinde prauam illam, uenenosam, ac tremendam ualetudinem, lepram inquam, huius diuinæ aquæ facultate curatam fuisse sæpius cognoui, et præsertim anno 1611. in Francisco Angeli Cassinensi, quia uertice capitis usq; ad plantam pedis hoc morbo affectus erat ita, ut tota eius caro aridissima esset, et fissuris scateret; nihilominus, præmissa ebibitione aquę Ficuncelle accedens ad hanc aquam intra uiginti dies mundus factus est totus, caro mollificata, et fissuræ conglutinatæ. Vnde si nil aliud præstaret hæc aqua, nisi dictos effectus, per hoc tantum inter alias aquas memorenda redditur, et summa æstimatione digna, præsertim quia hos effectus præstat absque nocumentis solitis inferri ab aquis bituminosis propter conuductionem taliarum minerarum, et hæc dicta sufficiant de baineis soli infusioni deseruientibus; ad duccias explicandas nunc est accedendū

De Ducciæ balneo, eiusque qualitatibus. *Cap.* XXIIII.

DE Duccia cum sit agendum, illud est primò notandum, quod licet sub nomine duccię latæ sumptę intelligi possit stillicidium balnei magni occurrens uentriculo ad ipsius corroborationē, & stillicidium Sancti Georgij pro sanandis ulceribus, ut supra dictum est in examine horum balneorum, nihilominus proprie pro Duccia stillicidium illud intelligendum est, quod deseruit ad ducciendum caput, quemadmodum est præsens, de quo agendum est, his de causis, primò quia omnes authores de Thermis loquentes pro Duccijs intellexerunt stillicidia capiti occurentia, non allia stillicidia, de inde quia si uim huius nominis examinemus, cognoscemus propriè sumi pro huiusmodi stillicidio, cum pro Duccia id proprie intelligi debet, quod Duci succurrit, Ducem autem corporis esse caput regimen ipsum demonstrat unde extat in prouerbijs (quando caput dolet coetera membra lauguent) & idcirco quia capiti succurrit, non est mirum, quod ei fuerit impositum nomen Ducciæ, ut per hoc nomen non solum distinguatur à reliquis balneis, sed etiam manifestetur eius usus et effectus, quod seruari debet in impositione nominum secundum Platonis præceptum supra enarratum.

Pro

Pro inuestigatiõe, deinde qualitatũ huius balnei sciendũ est, quod inantiquitate concordes sunt omnes scriptores, & præcipue eius antiquitatem arguit statua illa marmorea, de qua facta fuit mentio in principio huius operis adinuenta propè hoc balneum; vnde etiam confiteri oportet, balneum, hoc antiquitus fuisse in magna ęstimetione, & extitisse ædificium magni momenti, vt præter dictam statuam denotant monumenta, quæ quotidie inueniuntur in vinea contigua huic balneo; in præsenti verò, & si non adsit sumptuosum ædificium, est tamen sufficiens pro commoditate egentium eius auxilio, & optime conseruatur eius aqua adeo, vt nullum damnum ei afferat nec pluuia, nec aer, ex quo in saliditate, & quantitate præseruatur, nec vnquam alterętur principalis eius qualitas, quæ consistit in ferro, ęre, alumine, nec nõ modico sulphure, vt ex odore, sedimentis, & operationibus colligi potest: odor enim quàm vis grauis non sentiatur, nihilominus aliquid sulphris indicat; sedimenta etiam in cursu aquarum denotant aliquid æris, & sulphuris, sed in distillatione mineræ istę parum apparent, cum superiores sint aluminis, ferri minerę ex his igitur mineris aqua ista in actiuis calida, in passiuis sicca existit, & magis ad siccitatem, quàm ad caliditatem procliuis est, cum temperetur in actiuis à ferrea minera, vt effectus ipsi demonstrant.

De effectibus Ducciæ. Cap. XXV.

EFfectus huius balnei tot, tantique momenti sunt, ut mirer, quid de eo dixerit Reuerendiss. Andreas Schiauettus in suo libello de his balneis, in quo certe demonstiat non cognouisse perennem huius aquæ laudem: sed eum excusatum habeo, ut in expertum in primis artis medicę, vnde etiam in multis deficere eius tractatum nemo admirari debet; deinde quia tunc temporis non erat adeo in vsu cum non ad esset ea commoditas, quæ reperitur in præsenti post restaurationem factam annis elapsis, vt ipsemet retulit in additione dicti libelli. Huius igitur Ducciæ facultate iuuamentum sine nocumenti suspicione reportatur, vel sit affectio recens, vel antiqua, vel in pueris, vel adultis, & senio confectis, quauis tandem ætate, sexu, & complexione, dummodo affectio oriatur à frigida, & humida causa propter maiorem portionem minerarum calidarum, licet nõ noceat etiam, quinimmo

sinet humiditati à caliditate alipuo modo fomentatæ propter fer ream mineram in actiuis eius facultatem temperantem; quemadmodum luce clarius apparuit in prællegato casu Domini Hieronimi Giholi, qui visum caliginosum cum haberet propter humiditatem ad luminaria defluentem, vtilitatem adeptus fuit beneficio huius Ducciæ præcedente potu Buxi, & Ficuncellę, vt supra dictum fuit, & nihilominus eius affectus causa tribuebatur partim hepatis intemperiei, licet ad essent etiam aliæ causæ, ut ex relatione Excell. Ludouici Ceschatini cognitum fuit, & ex eius aspectu videbatur. Præterea cerebri alteratiuã fortificat, sensibiles purificat sensus: surditati, epilepsiæ memoriæ diminutioni, aurium tinnitui, corizæ, paralysi, spasmo, cæterisque neruorum passionibus, eorum originem confortans, vehementer prodest; conuenit etiam podragricis materiam sistens, quæ prius defluent ad debiles iuncturas, & eodem modo confert asmaticis; quorum effectuum exempla cum sint partim enarrata superius in balneis Senctæ Mariæ, & Buxi, superfluum est eadem repetere, vel alia similia proponere, idcirco exemplũ in materia surditatis adducam & est Celij filij domini Scipionis de Gabriellis Senensis, qui cum ageret annum duodecimum, & auditum imperfectum haberet anno 1509. existente Prætore Sancti Cassiani eius patre, se subiecit huic Ducciæ per viginti dies, & eius beneficio optimum acquisiuit auditum, Aurium tinnitui prodesse cognouit Venerandus Pater Frater Leonardus Cuppuccinus Cassianensis, vnde detrahere huic Duccię nemo debebit in futurũ, quod ei Deus tribuit.

De Balneo luti, & eius qualitatibus. Cap. XXVI.

SVperest nunc de luti balneo agatur, vt finis imponatur tractationi horum balneorum pro cognitione minerarum, & effectuum. Huius balnei inscriptio ab ipso effectu est desumpta, ad aliud enim non deseruit hoc balneum, n. si ad lutandas corporis partes alicui indispositioni subiectas. Similiter ex hac inscriptione colligi potest, non esse balneum formatum, & parietibus constructum, quemadmodum sunt alia balnea, sed situm, quendã coenosum in quo extrahitur mineralis terra apta ad vsum dictum emanet etiam in eodem situ aqua mineralis calida non minus in actu quàm sit in potentia, easdem facultates obtinens cum terra ipsa, sed administratur lutum, non aqua, cum densa sua sub

bstantia melius imprimat facultates, diutiusque conseruetur impressio. Ostenditur igitur per dictam inscriptionem vsus huius balnei, & distinguitur per eam à reliquis balneis, à quibus etiam ex particulari qualitate separatur, eius enim mineralis qualitas licet sit aduidicata similis Sanctæ Mariæ qualitati, discrepat tamen in hoc, quod lutum participat argento, & colligitur ex ipsismet atomis in hoc luto argento refulgentibus, quod non accidit in alijs balneis, cum quibus postea conuenit in alumine, & ferro, & ex his omnibus mineris ad siccitatem procliuibus colligitur in esse huic luto, quod inesse concludit Gal. 9. de simpl. med. facult. in quauis terra; sed non exiccante tantum facultate præditum est hoc lutum: quia cum mollificatione, & resolutione eius facultas exiccandi est coniuncta, vt effectus ipsi demonstrant, quos enumerare volo contentus hęc dixisse de inscriptione, & qualitatibus huius balnei ita confuse sicut est ipsum sine aliquo ordine accomodatum.

De effectibus luti. Cap. XXVII.

QVamuis dixerim nullā adesse formam balnei, & sine ordine accomodatum esse balneum, non tamen obest quidquam eius effectibus, vidi enim ex hoc luto mirabiles effectus, & consideratione dignos; & vidi exiccationem dictam cum mollificatione, & resolutione; qua de re crassities, & articulosas vincturarum durities resoluendo tollit, contractaque à vulnere membra mirabiliter mollificat, & extendit, antiquos à frigipa causa dolores remouet; vnde visum est aliquibus conferre posse hydropicis si in toto corpore fiat emplastratio; sed certè nec ipse vnquē hoc sum expertus, nec alium expertum fuisse intellexi. Quod igitur crassities, & articulosas iuncturarum durities resoluat, ad est exemplum Domini Vincentij de Iustinianis magna crassitie, & duritie in altero genu affecti, unde extendere illud nō poterat, quod postea consecutus fuit per lutum hoc, & balneum Sanctæ Mariæ quibus vsus fuit prima vice anno 1596. & sequenti anno pro secunda vice. Contracta etiam à vulnere membra mollificare, atq; extendere vidi in Domino Ioanne Baptista de Arrigis Florentino contractam manum dexteram habente vulnere accepto sub ipsa manu, quam postea mollificatam extendit beneficio huius luti, & balnei dicti anno 1606. Alique huiusmodi exempla, & de luxa-

tione

sione iuncturarum à causa externa, & interna afferri possent; sed quoniam ista sufficiunt ad demonstrandam facultatem huius balnei, de mineris & effectibus balneorum Sancti Cassiani cum hoc tractatu primam partem claudere statui, quod sacra cum Manardo in epist. vlt. xvi. lib. non immeritò vocari possunt propter incredibiles effectus, quos procreant, dummodo rite admi nistrentur: non enim inconsulte, & temerè eis vti quis debet, si vult ab eisdem consequi beneficium sine detrimento, & non adscribere medicamento, ut moris est quod proprio errori conuenit. Ad euitandum igitur hunc scopulum, declarandum est, quomodo agant aquæ istæ, & quomodo administrari debeant.



DE BALNEIS SANCTI CASSIANI PARS SECVNDA,

In qua de eorum modo operandi agitur.

In quibus consistat cognitio modi operandi. Cap. I.

ENarratis natura, & effectibus Thernarum Sancti Cassiani ad cognitionem modi operandi earum deuenire mihi proposui antequam modus explicetur, quo vti quis debeat illis: quoniam sicut per inscitiam modi operandi commit ti potest error in earum administratione, sic per eius cognitioné aufertur omne dubium, quod oriri potest in productione tot, tam que diuersorum effectuum ab vno, eodemque balneo. Quod igitur examinandum est de cognitione modi operandi, in his consistit, cum dupliciter in primis quod libet medicamentum effectũ suum prestet, vel euacuando, vel alterando, necessarium est uide re, num balnea ista uim suam exerceant per euacuationem, vel per alterationem. Deinde per quirendum est, si hos effectus præstent in uirtute propria, vel aliena, eademque occulta, vel manifesta. Tertio videndum est, an aquę istæ in pote administrate effectum præbeant per qualitatem tantum, vel etiam per quantitatem. Quarto determinandum est, an effectum suum conferant in instanti, uel in tempore, quibus cognitis facile erit cuilibet confiteri, sacras has aquas (vt vtar verbis Auicennæ) posse dictos, effectus, & alios maiores præstare; & poterit ijsdem quilibet liberè uti sine suspicione, quod obesse possint, nisi primis die bus tota reddatur aqua assumpta, ut aliquibus videtur, imo quod prodesse non possit, intelliget, nisi retineatur aliqua portio assumptæ aque, vt in vltimo capite declarabitur.

Balnea Sancti Cassiani per alterationem, & euacuationem agere Cap. II.

QVod primo examinandum propositum fuit, nedum est primum, sed principalissimum, & ualde necessarium cognitu cum magnus error committi possit in eius medicamenti administratione, cuius natura, & modus operandi non cognoscitur, vt igitur liberè, non casu, & temerè exhibeamus has aquas, quomodo agant, est dignoscendum. Fuit opinio annis elapsis cuiusdam Excellentissimi viri, thermales has aquas nullo modo effectum suum præstare per euacuationem; & vbi in principio existimabam hoc eum asserere, vt ostenderet perspicacem quidem in alijs, sed in hoc (meo iudicio) satis obscurum intellectum, & per modum differendi contradiceret meæ sententiæ, cum postea viriliter eum uidi sustinere hanc opinionem licet erroneam, tunc credidi ipsum ex professo eam tenere, non ex accidenti, nec per modum differendi locutum fuisse, quæ quantum possit, ex rationibus ab eo relatis quilibet iudicare poterit. Dixit in primis, quod si aqua euacuatiua esset prædicta facultate, dũ emitteretur, alia redderetur ab ea, quæ assumitur; sed hæc aqua ita redditur, vt assumitur igitur effectum suum non præstat per euacuationem, sed tantum per alterationem. Hanc deinde opinionem confirmauit testimonio Andreæ Baccij qui in dixit asserere thermales aquas effectum suum præstare alterando, non euacuando. Posset etiam hæc opinio tueri ratione magis probabili, si dicatur, quod vnumquodque medicamentum effectum suum euacuando præstans, vtique illum prestare debeat per lubrificationem, ut verificetur dictum Hipp. asserentis, corpora, quę purgari debent, oportere fluida facere, sed tantum abest ut thermales aquæ lubrificent, quod absolute exiccant calefaciendo, ut testatur Paulus Aegineta, & constipant, ut subiungit Aetius locis sępius citatis, qui est contrarius effectus ludificationi, igitur aquæ Sancti Casiani thermales existentes alterando, non euacuando conferunt virtutem suam. E contra sicut sustinui semper Thermas has vim suam impartiri nedum per alterationem, sed etiam per euacuationem, ita in eadem opinione me confirmo innixus rationibus, experientia & auctoritatibus sequentibus. Aquæ enim iste negare nemo poterit, quod præstare debent eum effectum, quem præstant mi-

mineræ, quibus participant, & earum occasione agunt; quia si medicina ex propinquitate alterius acquirunt qualitates extraneas, ut testatur Auic. 5. lib. 2. tract. primo cap. 5. eò magis hoc debent efficere ex permixtione; sed superius declaratum fuit mineras omnes inhęrentes his aquis primò vi solutiua præditas esse, mox adstringenti; igitur necessario confitendum, quod etiá aquæ istæ vi solutiua in primis sint præditę, & postea sequatur vis adstringens, & sic non solum per alterationem, sed etiam per euacuationem operentur. Stante pręterea, quod thermales hæ aquę virtute alteratiua sint præditæ, hoc fauet opinioni propositæ: quia effectum hunc præstare non possunt, nisi præcedat euacuatio; ad remouendam enim malam temperiem ex partibus naturalibus per alterationem, oportet prius remouere, quod fouet intemperiem; intemperies autem pręseruatur ab humoribus non solum in qualitate, sed etiam in quantitate peccantibus, igitur hoc humores ab intemperatis partibus prius tollere oportet, si cupimus sequi alterationem; sed ablatio horum humorum fieri non potest nisi per euacuationem, idcirco concludendum est, quod aquæ istæ ut exerceant alterationis munus, debent prius exercere euacuationem, noxios humores educendo; quod cognoscens Baccius lib. 6. de Thermis cap. proprio ficuncellę, dum minerarum mixtionem operationes ipsas manifestare demonstrauit, dixit prius, quod purgant per aluum, & per vrinam, postea subuinxit quod alterant ob mediocritatem quandam naturæ, & calida frigefaciendo, & frigida calefaciendo, & ideo conferre ad omnem hepatis, renum, ceterorumque viscerum inteperantiam. Idemq; apertissime confitetur lib. 7. cap. 22. præmissis alijs operationibus subuingens vrinas, ac aluum ciere aquas thermales, sudores, ac halitus insensibiles excitare. Ex perientia etiam ipsa ostendit pręditas esse has aquas virtute euacuandi, cum caput per spuitionem purgari quotidie inspiciatur, reliquaque viscera per aluum, & vrinam; nec non quod in carne collectum est, per sudorem, uel saltem per insensibilem transpirationem, ex quo concludendum est Thermas has per euacuationem, & per alterationem vim suã conferre; quod vltimo colligi potest ex autoritatibus; Gal: enim com. 2. aph. aph. 2. dicit, balnea nitrosa, sulphurea, bituminosa euacuare totum corpus æqualiter; idemque testatur lib. 4. de san. tuen. cap. 4. Auic. lib. 2. tract. 2. cap. 58. dicit aquarum mineralium plurimum soluere, & exiccare, & lib. 1. fen. 2. doctr.

2. cap. 16. asserit aquam salsam primò soluere ventrem per uim abstersiuam, quę in ea existit, postea restringere uentrem propter siccitatem existentem in eius natura. Similiter Sauonarola lib. 2. de baln. rubr. 13. testatur aquam nitrosam solutiuam esse, & aluminosam soluere ventrem, & notabiliter Vitruuius 8. lib. 2. cap. 3. & Alexander Tralliãus in capite de curatione colici affectus testantur per potum aquarum thermalium fieri euacuationẽ ventriculi, intestinorum, & reliquarum partium, per quas transeunt vnde Trall. loco citato exhibendas huius modi aquas asserit pro euacuandis, detergendisque intestinis & ventriculo, quia imo sustinet, quod cum habeant uim abstergendi, & expurgandi, si quid viscosi tum intestinis, tum ventriculo infixum depræhendatur, restituent sanitatem, totumque corpus, prorsus persanant. Vltimo Andreas Baccius, mineralium aquarum exquisitissimus inuestigator, etiam ipse, ut supra dictum est, fatetur vi purgante minerales aquas prędita s esse, & quod isti aut hores locuti sunt de aquis mineralibus in uniuersum, applicari sine dubio potest his aquis; unde satis clarum apparet, erroneum esse, si sustineatur, thermales has aquas alteratiua tantum facultate prędita s esse & non euacuatiua. Nec unquam inueni Baccium asserentem, alteratiuam tantum facultatem possidere, & si quando tribuit eis hanc facultatem, pręsupponit, quod illam possidant post euacuationem factam, & non spoliat eas hac facultate; sed certe spoliatur sensu, & eius poena dignus est, qui asserit hanc aquam reddi, ut ebibitur, cum excrementa purgari per partes supernas & infernas quotidie inspiciatur ab his, qui aquis istis vtuntur, nec unquam redditur aqua per vrinã adeo clara, sicut bibitur, sed aliqua turbulentia semper inspicitur, leuis tamen est propter quantitatem quotidie assumptam, non inuenientem talem copiam excrementorum in primis vijs, per quas præcipue transit hæc aqua, ut ualeat eam ualde turbulentam redere. Quod deinde aquæ thermales calefaciant, exiccent, & constipent, & per consequens non lubrificent, cum sint contrarij effectus; admittitur assumptũ, & reprobatur consequens: quia hoc sequitur post euacuationem ut supra dictum est, & licet sint contrarij effectus, possunt nihilominus ab uno, & eodem subiecto prodire propter diuersas qualitates in eo existentes, ut Baccius in cap. de ficuncella notauit de eiusdem ficuncellę aqua, & de reubarbaro. In aquis enim mineralibus primo apparet euacuandi facultas tum propter uim

aperi-

aperitiuam, attersiuam, & incisiuam, quæ reperitur in mineris ob earum caliditatem, vel aliam peculiarem qualitatem, ut inspicitur in dicta aqua, ficuncellę, que licet ferrea sit, aperit tamen, & ipsa, atque attenuat, non tantum quia actu calida est ex sulphure, sed ob ferri partes aliquas subtiles, atque acres, ac ipsa ferri uirtute propria, vt notat Baccius lib. 6. cap. 2. tum etiam propter refractionem passiuæ qualitatis, cum siccitas minerarum contemperetur ab humiditate actuali aquarum, & ab humiditate subiecti in quod agit, cuius humiditatis proprium est laxare ex Auic. lib 1. fer. rx. doctr. 2. cap. 6. Secundario autem apparet facultas adstringens propter siccitatem existentē in mineris quæ licet contemperetur (ut dictum est) nihilominus sequitur in tempore, vt infra declarabitur; & nunc sufficiat hæc dixisse ad concludendum, aquas thermales Sancti Cassiani euacuatiua simul; & alteratiua facultate præditas esse.

Quod virtute propria, eaque manifesta agant aquę istæ. Cap. III.

PRopositum secundo loco fuit declarare, num virtute propria thermales istæ aquæ operationes suas efficiant, uel aliunde eius impartiantur; eademque num occulta sit, uel manifesta; pro cuius intelligentia illud prius est animaduertendum, non oriri difficultatem in aquis balneorum, quatenus sunt aquæ simpliciter: certum est enim, aquas simpliciter non esse aptas ad producendos similes effectus, sed acquirere has facultatas à mineris; difficultatem autē oriri in aquis balneorum, quatenus sunt aquæ minerales; & considerandum est an istæ aquæ acquirant virtutē à mineris tantum, vel ab alio extrinseco. Sauonarola lib. 2. de baln. cap. 5. rubr. 4. nullo modo assentiri videtur aquas thermales aliunde petere virtutem suam præterquam à mineris, quibus participant, nec certè sine ratione hoc dicit, cum vanum sit tribuere alienæ uirtuti, eidemque occultæ; quod tribui potest manifestæ, & propriæ, Quod autem operationes balneorum tribui possint propriæ, & manifestæ, colligitur ex his, quæ dicta sunt de mineris, est namque determinatum adesse in illis virtute conferendi eas operationes, quas conferunt balnea participata dictis mineris, & propterea operantes in uirtute minerarum, ab eisque acquirentes nomen thermalium aquarum, videntur in virtute propria, non aliena operari, eaque manifesta, non occulta. Quod

si videtur occulta propter diuersitatem operationum, earumque contrariarum, quæ fiunt ab vno, eodemque balneo, ut patet in ficuncella ad iuuante discrasias calidas, & frigidas, & in balneo magno corrigente superfluas purgationes, & earundem defectũ adiuuante, non tamen hoc fit virtute occulta, sed manifesta quia aqua horum balneorum refracta cum sit in qualitate propter mixtionem diuersarum minerarum, ab eadem diuersitate diuersæ etiam prodeunt operationes, unde non ab occulta, sed manifesta prodire colligendum est. Quinimo ex eadem mixtione tollitur omne damnum, quod aliqua minera apta est inferre propria natura, vt manifestum apparet in omnibus his balneis; ficuncella namq; si solo ferro participaret, ventriculum lęderet propter innatam frigiditatem, balneum magnum hepati nocumentum inferret, si solo alumine, & ære prędítum esset, & sic de alijs balneis, quæ nihilominus detrimentum non afferunt propter principalis virtutis refractionem ex mixtione aliarum minerarum ex quo non sine ratione concludendum est, Thermas has, sicut, & reliquas Thermas, similes in virtute propria, eaque manifesta, non occulta, neque aliena agere. Nisi velimus dicere occultam esse respectu nostræ cognitionis, cum ei plerumque notæ non sint veræ, & proprię causę remotæ existentes à sensu, à quo ipsa originem ducit, non tamen propterea verè occulta dici debet quia omnis operatio, proprietasque rerum à forma pendet, & forma est omnis motus principiũ eius, in quo est, ut accidit in presenti casu; minerę neque in his aquis tamquam forma earundem existunt, & ab earum mixtione, & tamperatura, ut ab anima, secundum dictum Ale. & Gal. prodeunt operationes dictæ, sed quo modo fiat hæc mixtio, & in quo gradu reperiatur hæc temperatura, cum sensũ fugiat, & colligatur adesse per ea tantum, quæ sensui sunt subiecta; propterea fieri non potest rectum iudicium, & inde admiratio oritur in diuersitate operationum, procrearique dicuntur ab occulta virtute, non quod uerè occulta sit. Verum tamen licet thermales omnes aquæ, & istæ præsertim virtutem propriam exerceant in operationibus, sit mihi datum dicere, aliunde etiam eis virtutem impartiri, & coelitus infundi, vel à secundis causis, coeli inquam, & syderum potestatem habentium super inferiora, eademque regentium, vel à prima, principalique causa causarũ, Deo benedicto, sui placitum fuit donum hoc Terrę Sancti Cassiani communicare, & alijs similibus locis, quod cognoscens Auic.

pluribus in locis, Arist. 23. part. probl. 19. Manardus, & alij, thermales aquas sacras appellarunt, quasi diuino auxilio adiutæ effectus suos efficiant, & certe tales sunt, vt videatur tractari de impossibili eos produci posse sola naturali facultate: videmus enim q' omnis genus languentium accedat ad hęc balnea, nullum absolute discedere moestum, quin aliquam reportet vtilitatem, nisi in integrum recuperet salutem; & uno, eodemque balneo plures vientes diuersa affectione laborantes sanitatem acquirere, quod licet (vt dictum est supra) tribui debeat participationi diuersarum minerarum, nihilominus etiam fatendum est, ad facultatem naturalem accedere virtutem diuinam; ex quo non immeritó concludi posse existimo, quod quemadmodum ad Probaticā Piscinam nullus debebat accedere, nec ex ea fructum aptus erat recipere, quin prius Deo consuleret; ita neq; ad hæc balnea quisquam temerè debet accedere, sed Deo Dei paræque Virgini, cui præcipue sunt dicta, debet consulere, ab eisque prius gratiam præcari pro recuperatione sanitatis, quod ideo fieri debet, quoniam sacra sacre sunt administranda, & hoc modo administratis his balneis sequetur quod Baccius in 22. cap. 7. lib. concludit de aquis temperatis, quod rari videlicet erunt morbi, quos opportuna harum aquarum administratio non persanet.

Aquas has non sola qualitate, sed quantitate operari. Cap. IIII.

DEterminatum cum sit Thermales has aquas licet agant in virtute propria, eaque manifesta, aliunde etiam acquirere auxilium; non est tamen excogitandum uirtutem hanc diuinam quidquam detrahere propriæ virtuti, & naturali; virtus namque diuina concurrit in fundens facultatem operandi his aquis per mineras dictas, & disponens subiectum ad recipiendum earum effectum; sed ipsam facultatem operandi relinquit iisdem aquis; adeo quod pro consequendis earum effectibus necessarium est seruare præter supra enarratum, quicquid requirit etiam ipsarum natura, à qua præcipue dispositę sunt, vt non solum qualitate, sed etiam quantitate operentur, vnde non est mirum, si quando euenit, quod non acquiratur ex illis profectus aliquis, quia nec in quotidianæ potionis quantitate, nec dierum seruetur ordo necessarius, ut infra declarabitur. Quod autē non solum qualitatę, sed etiam quantitate agant, inde fit primo manifestum: quia quemadmodum

admodum omne medicamentum agit non sola qualitate, sed etiã quantitate, alioquin superflua esset obseruatio dosis exhibendæ pro consequenda vtilitate, & nocumento euitando, quod superfluum noñ esse quotidie experitur, cum administratum in minori quantitate, quàm par sit potius detrimentum afferat, quasi iuuamentum, non valens resoluere, quod in motu posuit, & adhibitum etiam in maiori quantitate, quàm deceat, nocumentum afferat, substantificum resoluens humorem, & naturalem prosternens virtutem; ita præsens medicamentum aquarum thermalium non solum qualitate, sed etiam quantitate agit, & propterea cauendum est, ne deficiat eius dosis, vel abundet in quantitate, vt ex eo consequatur fructus, & nocumentum euitetur. Præterea cum parua portio minerarum reperiatur in his aquis, vt ex sedimentis relictis in cursu aquarum, & distillatione inspicitur; & eius portionis vis cum sit refracta à frigiditate, & humiditate aquis naturaliter inhærentibus; propte rea vt possint munus suum quatenus thermales exercere, & vtilitatem con ferre à mineris sibi elargitam, necessarium est, suppleat quantitas, vbi deficit qualitas respectu paruæ portionis, eiusdemque refractæ; ideo concludendum est, non sola qualitate, sed etiam quantitate thermales has aquas operari. Vltimo quod euenit alijs medicamentis familiaribus, idem euenit aquis thermalibus repositis inter medicamenta familiaria; sed alia medicamenta familiaria effectum suum præstant non solum qualitate, sed etiam quantitate, vt ipsamet experientia docet, cum opus sit eadem administrare in quantitate, vel ijsdem addere calcar, ut operentur sicut apparet in manna, cassia, & similibus, ita etiam aquæ thermales non solum qualitate, sed etiam quantitate operantur. Aquas autem thermales reponi inter medicamenta familiaria colligitur primò ex Gal. numerante eas primo de san. tuen. inter medicamenta non excedentia fines tuendæ sanitatis: deinde ex sensu, cum inspiciatur has aquas sumptas in pauca quantitate amplecti à natura sine vllo nocumento, quamuis nõ reddantur, ex quo asserendum est, actionem suam non sola qualitate, sed etiam quantitate præstare, & per consequens administrandas esse in conuenienti quantitate, vt consequatur ex eis fructus, & non tribuatur eis, quod propriæ negligentiæ tribui debet.

Operationem horum balneorum sequi in tempore, non in instanti.
Cap. V.

ERrant ut dictum est, qui putant se consecuturos esse harum Thermarum effectus, quando eis vtuntur in minori quantitate, quam debeat; errant non minus excogitantes consequi posse eosdem effectus in instanti; quare ad tollendam hanc erroneam opinionem, declarandum statui, actionem ipsarum fieri in tempore, non in instanti, quod inde fit primo manifestum: quia vsus harum aquarum, sicut, & aliarum thermalium aquarum tantummodo exhiberi solet in morbis curatu difficilibus, unde comunis schola frustra transmitti ad balnea tenet, quos curare potest pharmacorũ, dieta, & chirurgicis instrumentis, & Sauonarola asserit, nisi ex causa multum necessaria balnea esse petenda. Itaque si morbi curatu difficiles, & inueterati transmittuntur ad balnea, non potest ab ipsis consequi fructus nisi progressu temporis; presertim si morbi sint interni, non externi: quia in externis balnea citius operari possunt, cum in ipsis operentur secundum propriam mixtorum naturam, scilicet per contractum. In externis etiam balnea citius operabuntur dum modo fuerint simpliciter externi & dependentes à causa externa, vt est casus, percussio, vel aliud simile, verum si dependeant à causa interna, in his non operabuntur, donec auferatur causa fouens externos morbos. Hinc animaduertendum, quantum errent, qui putant abscessum aliquem, & ulcera ab intemperie procreata curari posse per simplicem contactum balneorum, & ideo huius modi infirmos consulunt tantum immergi, nulla habita consideratione ad causas morbificas, vt fieri debet per potum, vel aliud proportionatum Thermarum remedium, sicut infra faciendum esse declarabitur. Nec tueri se possunt dicentes, respexisse causas morbificas in præcedentibus vniuersalibus purgationibus: quoniam si sufficerent istæ in curandis causis morborum, sufficerent etiam ipsomet morbo profligando, sed in vno deficientes deficiunt etiam in alio propterea ad particulare medicamentum recurri debet, quod & morbum, & eius causam respiciat, quale est Thermarum auxilium, & ideo ad eas confugiendum cum eò perueniant propter diuersitatem modi operandi, quo peruenire non possunt vniuersales purgationes, vt in Domino Ioanne Maria Signio uisum est,

&

& alijs ex diuersitate igitur modi operandi, & ex eo, quod ad balnea non concurrunt nisi in firmi curatu difficiles, sequitur, quod actio Thermarum in tempore, non in instanti fieri possit. Non est tamen hoc intelligendum de omni balneorum operatione, Thermales namque aquæ operantes per euacuationem, & per alterationem, ut supra notatum est, primam actionem efficiunt in instanti, alioquin sequeretur de his, quod dicit Rondoletius in lib. de dignoscendis feb. cap. de caus. de medicamento in vniuersum, quod videlicet plus nocerent, quam prodessent, nisi soluerent aluum. Quod autem actionem hanc efficiant, dum administrantur, ex his colligitur, quæ excernuntur per aluum per vrinam, per os, per sudorem, per insensibilem transpirationem, nec non etiam sensibilem, quando per cutim excernitur maior copia pruritus, & scabiei, quam fuerit antea, & tandem per quamcunque partem corporis expurgationi preparatam; Non de hac igitur operatione balneorum intelligitur, sed de præcipua eorum operatione in alteratione posita, quę cum nihil aliud sit, nisi reductio mali habitus ad bonum, necessario est concludendum, eam fieri non posse in instanti, sed in progressu temporis: quoniam vt ad consequendum malum abitum intercessit aliquod temporis spacium, cum factus fuerit ex frequentatione malorum actuum, ita in reductione mali habitus ad bonum intercedere debet temporis spacium, cum hoc fieri non possit nisi ex frequentatione bonorum actuum, & idcirco in tempore sequitur hæc operatio balneorum, & repetuntur balnea pluribus vicibus secundum malam morbi qualitatem. Accedit præterea sequi Thermarum actionē istam in tempore, quoniam dum medicamentum agit, virtus ipsa concurrens in actione medicamenti fatigatur, & ex consequenti debilitatur, vnde iuuamentnm medicamenti apparere non potest donec conualescat virtus à dicta fatigatione, hoc autem fieri non potest, nisi intercedente aliquo temporis spacio, & per cōsequens non in instanti, sed in tempore sequitur iuuamentum, & sic etiam Thermę in tempore, non in instanti actionem suam demonstrant. In super hæc principalis actio Thermarum sequi non potest, nisi præcedente euacuatione; vnde de ficuncella dixit Baccius, quod dupliciter refrigerat, primo ratione virium refractarum ex natura ferri frigida, & sicca, secundo ex accidenti, scilicet eductis humoribus calidis. Igitur si euacuatio concurrit, non possunt Thermæ suam actionem principalem exercere in instanti, sed in

tempore,

tempore, cum sequatur etiam euacuatio post vsum balneorũ propter aquæ portionem, quæ remanet in corpore, vt infra declarabitur. Vltimo, & principaliter cum alteratio præcipuè pendeat à siccitate minerarum, & per eam confortari consentiant omnes authores naturam ipsam in omnibus partibus naturalibus, siccitas ista exerceri non potest in instanti, cum refrangatur ab humidita te actuali aquæ existente maiori portione aquæ, quàm sit minerarum portio, & propterea non potest statim imprimere suam facultatem, donec fuerit absumpta humiditas ista actualis; quare concludendum est, operationem balneorum in tempore non in instanti procreari, & sic errare eos, qui putant fructus balneorũ consequi posse in instanti; vnde nec mirari, nec deterreri debet, qui illis vtitur, si statim non cognoscit vtilitatem; sed confidere in futura salute, quam recuperare ab ipsis quilibet sperare poterit, si seruauerit, quę infra seruande declarabuntur post vsum balneorum.

Quod non reddatur tota aqua assumpta, nec eam reddi sit necessarium. Cap. VI.

Ex dictis alia etiam difficultas facilè de medio tolli potest, & est, quod vt plurimum qui laborantes aliqua agritudine ad hæc balnea consulunt, eis imponunt, vt à potu harum aquarum abstineant, si primo die, uel saltem secundo totam aquam assumptam non emiserint, verentes ex eius retentione sequi aliquod damnum, nec considerant hoc fieri posse, nec ullum damnum sequi posse, quàm uis remaneat in corpore aliqua portio aquæ imo quod est necissarium remanere, vt sequatur utilitas ex eius assumptione. Totam autem aquam reddi nõ posse his rationibus ostenditur, primo respectu nostri innati caloris, per quem consumi semper aliquam humiditatis portionem negare nemo potest, & multo magis in excessu caliditatis hoc inspicitur absumẽdis humidum radicale. Deinde respectu porositatis corporis, qua mediante distrahitur aliqua portio aquæ, eamque exugit corpus non secus ac faciat spongia, & ita dilatata non potest statim reddi quam dilatationem adiuuat actualis calor ipsius aquæ quam primum eã penetrare faciens ad poros, & ad diuersas corporis partis, vnde postea reuocari non potest, nisi tractu temporis, vt experientia ipsa docet, & præsertim hoc notatum fuit à felici recordatione

Domini

Domini Horatij de Oricellarijs, qui vt erat in omnibus suis actionibus accuratissimus, sic maximam obseruantiam fecit, dum elapsis annis assumpsit has aquas, & quando in fine existimauit praeseruari in corpore paruam aquae portionem, post aliquot dies cognoscens per copiosam mictionem eam retinuisse in maiori quantitate, quàm sibi persuadebat, dixit, nolle amplius de his curam habere, quae non sunt in nostra potestate. Quod deinde ex ratione harum aquarum non sequatur vllum damnum, inde fit: quia cum sint ex aquis sponte natis, & calentibus, numeratis inter medicamenta non excedentia fines tuendae sanitatis transeuntibus per mineră vtilium metallorum, non noxiorum, retineri possunt absque nocumenti suspicione, qood ut expertus sum in multis, sic praecipuè obseruaui praeteritis annis in Domino Lelio de Beringuccijs Senensi: hic enim tali hepatis intemperie laborabat, vt ad maximam adustionem redactus esset, ex quo cum bibisset ex his aquis quatuor, vel quinque diebus si recte memoria teneo, eam in pauca quantitate reddidit, & nihilominus nullum detrimentum sensit, quasi nihil bibisset, & perseuerans me annuente in ebibitione coepit post dictum tempus large reddere aquam, & consecutus fuit maximum iuuamentum, sicut & idem Dominus Horatius post tres menses per litteras confessus fuit sensisse ab assumpta aqua maximam vtilitatem in ventriculo, capite, & vniuerso corporis ambitu, & tamen retinuit aquă, vt supra dictum fuit. Quod tandem non consequatur fructus ex his aquis, nisi retineantur in corpore, ex eo colligitur in primis, quod cum actio Thermarum non fiat in instanti, vt supra dictum est, non posset effectus iste sequi, nisi ad esset id, per quod effectus procreatur, quare necessarium est retineri aliquam aquae portionem in corpore, vt intemperies corrigatur, & ad bonum statum fiat reductio. Praeterea cum refrangatur virtus Thermarum ab actuali aquae humiditate, non potest imprimi in corporibus, donec humiditas illa sit resoluta; humiditas autem non potest resolui nisi tempore intercedente, cum per actualem calorem penetret etiam extremas corporis partes, vt supradictum, est, & quotidie apparet in his, qui tumore partium extremarum, vel alio affectu in eisdem partibus laborant, quod potius tumor altius eleuatur, & quilibet affectus exasperatur primis diebus propter medicementi concursum; quarè sine dubio cŏcludendŭ est reddi penitus non posse aquă assumptam; imo necessariam esse retentionĕ

alicuius

alicuius portionis aquæ pro consecutione fructus, eiusdem, nec ex retentione sequi posse aliquod detrimentum, & ideo non sunt audiendi, qui dicunt, abstinendum esse à potunarum aquarum, dum primo, vel secundo die non reddatur eadem aquæ quantitas, quę assumitur. Hilari igitur fronte, & sine vllo timore accedant ægrotantes ad potum harum aquarum, quàm vis ex illis retineatur aliqua portio primis diebus; dummodo earum fiat transitus, & digestio à ventriculo; quod quomodo cognosci possit, declarabitur infra, quando regulæ tradentur obseruandę in potu ipsarum.



DE BALNEIS SANCTI CASSIANI PARS TERTIA

In qua de regulis agitur seruandis in eorum administratione.

De necessitate cognitionis eorum, quę agenda sunt in hac parte. Cap. I.

QVæ hactenus de balneis Sancti Cassiani dicta fuere, vtilia quidem sunt cognitu, & adeo necessaria, vt sine eorum intelligentia quilibet allucinari posset in illis administrandis, nec vllus liberè ijsdem vti auderet, vt supradictum fuit; quæ verò sequuntur, sunt multo magis attendenda, cum ex illis tota salus pendeat: vtile est enim homini aliquod medicamentum habere naturæ humanę proficuum; magis utile postea illius naturam, & effectus possidere; sed vtilimum nosse modum applicationis eiusdem medicanenti: quia sicut rectè applicatum prodesse, itá male applicatum obesse potest; & tanti momenti est possidere modum administrandi eius, quod administrari debet, vt ex recta administratione ne dum percipiamus vtilitatem ex his, quę sunt naturę amica; sed ex his etiam interdum, quæ sunt naturę aduersa, vt fit ex venenosis rebus artificio se tamen correctis. Cum igitur ab ordinata administratione salutem prodire sit conspicuum, & in sequentibus sit agendum de ordine seruando in administratione horum balneorum; propterea non immerito dixi attendendum esse his, quæ dicenda erant. Quid enim prodesset pręciosissima hæc gemma toti Terrarum orbi notissima, etiam si haberetur cognitio eiusdem naturæ, & effectus, & quomodo administrari deceat, ignoraretur: certe nihil. Idcirco vt tuto ex his fontibus fructus hauriri possint, postquam de qualitatibus ipsorum, ieffectibus, & de modo operandi tractatum est, quid sit seruandum in eorum administratione, est in præsenti declarandum, & quemadmodum diuersus est eorum vsus, ita di-

 uerse

uerse sunt regulæ obseruandæ. Ne igitur fiat confusio in earum traditione, ab his ordiri iure factum est, quæ seruari debent in potu, cum superius de potabilibus aquis sit prius tractum, tamquam magis utilibus humanę saluti.

Quid seruandum sit in potu harum aquarum. Cap. II.

SVmere qui intendunt thermales aquas Sancti Cassiani, summa cum diligantia eas sumere debent, si cupiunt fructus ex illis percipere, damnumque euitare, quod inferre possunt, dum in cautè sumuntur. Quæ verò seruanda sunt, & si in multis consistant, ad hæc præcipuè reduci possunt. In primis animaduertendum est, quod nam genus hominum has aquas sumere debeat deinde quomdo ad earum potum sit accedendum; tertiò quo loco sumi debeant, quarto quod nam tempus sit proportionatum ad earum vsum; quinto qua hora sumi debeant; sexto quo temporis spacio sint bibendæ; septimo quid sit faciendum ante potum; octauo vnde incipiendum sit in potu, nono dosis est examinanda; vltimo de victus ratione est agendum. Ex his autem quædam sunt necessariò obseruanda; quædam vero ad bene esse, & ad percipiendum frugaliorem fructum ex ipsis, vt in fra declarabitur.

Quis debeat accedere ad potum harum aquarum. Cap. III.

QVod spectat ad primum, si verum est, quod dicit Gal. 1. de tuen. valet. quod videlicet medicamentum non pertinet ad sanos, & quod aquæ istæ thermales sint medicamentosæ, sicut experientia docet, videtur sequi, quod non temere quilibet homo debeat accedere ad potandas has aquas, sed is tantum, qui aduersa laborat valetudine, & qui sanus est, debeat eas fugere; cuius opinionis præcipue fuit Sauonarola, & propterea dixit, corpora sana balneis vtentia deperdere de substantia sua, & macre fieri, subiungens deinde nisi ex causa multum necessaria balnea petenda esse, quæ opinio, & si videatur vera primo intuitu, nihilominus non est absolute sequenda, cum sumi possint aquæ istæ pro conseruatione etiam sanitatis, vt quotidie Incolæ faciunt, & hoc fieri non est adeo absurdum, vt existimauit Sauonarola: quia si reponuntur aquæ thermales ex Gal. 1. de tuen. san. inter medicamenta non excedentia fines tuendæ sanitatis, sequitur, quod

licet sint à natura principaliter datæ ad profligandos morbos curatu difficiles, & assidue ad hunc effectum applicari videtur, potuit etiam administrari pro conseruatione sanitatis, & hoc innuere voluit Gal. dum. 4. de tuen. valet. dixit, solitos esse non nullos quotannis excrementa vacuare aquis thermalibus, quare ex dictis hæc regula firmari potest, primo, & principaliter has aquas ab his esse petendas, qui aduersa, & incurabili valetudine laborant, mox ab his, qui sanitatem conseruare student.

Quomodo sit accedendum ad potandas has aquas. Cap. IIII.

AVxilio harum aquarum qui egent, inconsiderate illud quærere non debent, sde seruata debita regula in sex rebus non naturalibus debent prius corpus pręparare cum serapijs morbo conuenientibus, postea pharmaco purgante affectui cõgruente ea, quæ sunt expurgata purgare; quibus peractis per aliquot dies quiescant, iterque deinde ingredientes sine itineris defatigatione ad balneorum locum se conferant seruantes interim debitam victus rationem, & hoc licet non sit necessario seruandum, cum qutidie innotescat quamplurimos consequi fructum ex his aquis absque dicta præparatione propter facultatem eis inhærentem superius enarratam, nihilominus cum facilius, citiusque agant in corporibus purgatis quam in alijs non purgatis, propterea proponitur hæc regula seruanda, vt corpus præparetur antequam potui harum aquarum subijciatur.

Quo loco sumi debeant. Cap. V.

EXrebus non absolute seruandis, sed ad bene esse, & ad percipiendum frugaliorem fructum id esse existimo, quod tertio loco fuit propositum, locus videlicet ad potandum proportionatus; propterea declarandum est, num opus sit has aquas haurire ab ipsismet fontibus, dũ ebibi debent; vel sufficiat patientibus eas sumere quouis loco. Pro resolutione notandum est, quod si respicimus simpliciter facultatem harum aquarum, non esse dubiũ, eas esse tantæ virtutis, vt possint etiam adiuuare, quouis loco sumantur, quod experientia ipsa docet, dum quotidie inspicitur in longinquas partes aquas istas exportari ibidemque administrari, maximo cum iuuamento, quam vis

diu etiam fuerint in vasis pręseruatæ, vt ex testimonio Domini Benedicti Pontæ in cap. sicuncellæ enarrato vidimus, attamé respicimus si fructũ ex eis percipiendũ, negare nemo audebit, maiorẽ fructũ reportari ex ipsis in proprio loco sumptis, ac percipiatur ex ijsdem sumptis extra proprium locum, & hoc præterquam quod sensus ipse demonstrat, his etiam rationibus facillime ostenditur: virtus enim in primis vt melius præseruatur in aqua ipsius fontis, quàm in aqua vasorum, ita vberior fructus reportatur dum ex ipsis fontibus, & non extra ipsos sumitur aqua; virtutem autem melius præseruari in fontibus, quàm in vasis, ostenditur ex his, quæ effectus præstant aquis, & ex modo operandi; ad operationem namque ne dum minera participata his aquis concurrit, sed etiam calor ijsdem inhærens, qui cum sit eis naturalis permanens semper in eodem statu, facillime, cum innato nostro calore vnitur, & propter hoc adiuuat eam digestionem, earumque virtutem penetrare facit ad remotas corporis partes, quod non ita perbelle succedit, quando extra proprium locum conuenit iterum calefieri aquam; quia in tali calefactione præterquã quod refrangitur virtus, vt fit etiam in cibis iterum excalefactis, partes etiam spiritosæ euaporantur, & calor numquam præseruatur in eodem statu, ex qua caloris alteratione sicut ventriculus alteratur, ita nec eum fructum acquirere potest, quem acquirit ab actuali calore à natura aquis his dato, quod respiciens Sauonarola in lib. 2. de baln. super dubitationem anni bisest. dixit, quod aqua transportata ad alium locum, vt in suo calore remissa est, aut eo priuata, sic in sua virtute remitti putandum, & notabiles effectus non esse productiuam: quia igne calefacta non eam consequitur virtutem, quam ex calore suo natuali habet, quod autẽ dictum est de calore, idem affirmari potest etiam de minera; credi namque potest, quod quam vis in his aquis à natura per poros terræ purificatis nulla corpulentia appareat, sicut ex leuitate, & claritate earundem supra enarratis colligi potest, nihilominus in ipsis transportatis aliquid ex mineris dispendi, & in vasis adhęrere non secus, ac euenit in aquis igne purificatis, & perconsequens remitti fructum ex eis consequendum. Vltimo propter ambientem succedit: vt enim aer nutrit ex comuni consensu, sic etiam medendi facultate pręditum eum esse quilibet excogitare potest, & idcirco aquas istas sumptas in loco proprio maioris esse efficaciæ existimandum est: quia aer inebriatus vaporibus ther-

malibus

malibus concurrit ad prestandum maiorem effectum; & quod dicitur de aere, potest etiam attestari de cibis procreatis ab his mineralibus locis, quare statui potest hæc regula, vt hauriantur aquæ istę ex ipsismet fontibus, dum fieri potest.

De tempore congruo ad sumendas has aquas. Cap. VI.

EX erroribus, qui committuntur in vsu harum aquarum, hic est vnus non parui momenti, quod sumi incipiunt vt plurimum ijs temporibus, in quibus ab eis est quiescendum; vnde mirum non est, si quando nocumentum potius, quàm iuuamentum ab eisdem percipiatur, quarè ne tempus frustra teratur, necessarium est videre, quod nam tempus sit proportionatum ad earum vsum est quorundam opinio, non esse accedendum ad has aquas, nisi vigeat summus calor, & propterea consulunt ægrotantes ad earum accessum vltra mensem Iunij; sed hæc opinio quantum sit erronea, ex sequentibus colligetur. Excell. Seuerus Caponicus, vir summa doctrina præditus, vt ex eius quadam instructione colligere potui, congruũ tempus, & valde aptũ esse ait circa veris finem, & æstatis principium his duabus de causis, primo quia tunc temporis omnis superflua humiditas pluuiarum hybernalium, & vernalium iam exiccata est; deinde quia calor æstiuus adhuc non in valuit, cum non dum Syrius ardere incipiat. Ex Gal. autem . de tuen san. cap. 4. colligitur, aquas thermales sumi posse vere, vel autumno, dum asserit, non nullos solitos esse quotannis excrementa vacuare aquis, quibus inest sulphur, bitumen, & nitrum, vere, vel autumno, qua si statuantur ista tempora proportionata anc vsum aquarum thermalium, & ex consequenti harum etiam aquarum, & certè statui, possunt, licet alijs etiam temporibus sumi possint, vt ex sequentibus declarabitur. Pro resolutione igitur huius difficultatis notandum est, quod tempus congruum ad potandas has aquas. vel consideratur respectu facultatis ipsarum aquarum, uel respectu nostrę dispositionis; si consideratur respectu facultatis aquarum, quilibet certò sciat, sumi posse has aquas quouis tempore cum in eis preseruetur eadem facultas in hyeme, & æstate, quam habent in uere, & autumno, & in hoc decipitur ne dum Excell. Caponicus, sed etiam quicumquæ alij existimant alterari posse has aquas propter

concursum externarum aquarum, & propterea non esse sumendas nisi in fine veris. & principio æstatis, quo tempore existimatur consumptam esse superfluam humiditatem hybernalium, & vernalium aquarum; sed excusatos hoc habeo in hoc cum numqum viderint altissimam harum aquarum originem, & accuratissimã diligentiam in ultima restauratione adhibitam: est enim earum origo adeo profunda, vt difficillime pluuia quamuis ingens penetrare ad eas possit, sicut color, & calor premanentes semper in eodem statu testificantur, quod etiam colligitur ex quantitate, quæ parum alteratur in hyeme, & æstate; vnde cum conseruentur omni tempore aquæ istæ in eodem statu, firmiter teneri etiam potest præseruari semper in eis eandem facultatem, & sic respectu facultatis ipsarum sumi posse omni tempore, & in hoc tanto magis me confirmo: quoniam propter necessitatem bis coactus fui administrare has aquas de mense Decembris, & Ianuarij in occasione mulieris hystericis passionibus obsessæ, de qua facta fuit mentio in sectibus balnei magni, & Bartolomei Andreæ Terrigenæ hepatico fluxu laborantis, & summum iuuamentum in vtrisque cognoui. Verum si temporis congruitas consideratur respectu nostrę dispositionis, hoc etiam fieri debet conditionaliter, vel vt sumus naturaliter melius dispositi ad consequendum fructum medicatarum aquaram, vel vt accidentaliter cogimur quærere fructũ ipsarum. Nulli dubiũ est, quod naturaliter magis prompti sumus ad acquirendum fructum Thermarum in vere primum mox in autumno, quàm alijs temporibus, & propter virtutis constantiam, & propter aeris benignitatem, nec non etiam propter complexionis dispositionem: virtus enim melius resistit incommodis, & laboribus à dimidio veris vsque ad principium æstatis, & in autumno, quàm alijs temporibus. Per similiter benignior est in dictis temporibus, quàm in alijs & propter hanc benignitatem nedum, facilitat tollerantiam incommodorum existentium in vsu harum aquarum; sed etiam præstat iuuamentum in earum digestione. Complexio tandem est melius disposita ad consequendo fructus balneorum in his temporibus, quàm in alijs, cum redatur magis tractabilis in prædominio humiditatis, quàm in prędominio siccitatis, & in operationibus balneorum talis dispositio requiritur, cum euacuatio, & alteratio tentari non possint nisi in ipsa humiditate, existens igitur in his temporibus naturale prædominium humiditatis, propterea complexio est melius disposita

in

in dictis teporibus, quam in alis. Additur alia ratio, & est quod ex quatuor humoribus existentibus in corpore nostro cum principalis sit sanguineus, & reliqui ab ipso dependentes, si volumus aliorum humorum malas qualitates tollere, necessarium est, malam sanguinis qualitatem corrigere; sanguis autem non potest melius corrigi, quàm in proprio prędominio, quod est tempore veris, propterea in vere sumus melius dispositi ad consequendos fructus ex his balneis, á quibus præcipuè emendatur, quod est pręcipua causa morborum, & sanguinis principium, ut alias dictum fuit. Rerum tandem magistra experentia idem confirmat: cognoui enim frugaliorem fructum percipi in uere, quam in æstate, faciliusque eo tempore sufferri balneorum incommoda. Hinc est, quod antiquitus ad hæc balnea accedere incipiebant à principio mensis Maij nec ultra mensem Iunij permanebant, imo transacto solenni die Diui Iouannis Baptistæ quilibet discede bat, sicut à pueritiâ semper obseruaui, & licet hoc fieret propter aeris benignitatem tunc temporis citius aduenientem, nihilominus nó debemus nec in præsenti in usu balneorum expectare eccessiuos æstatis calores. quoniam tunc uirtus debilitatam difficulter subicitur Thermarum incommodis, & prædominium siccitatis in aere, & complexione non permittit tractabilia reddi corpora ut requiritur in operatione balnearum; quarè firmari potest hæc regula, quod aquæ thermales Sancti Cassiani sumi debent principaliter in uere, uel saltem in autumno. Acìdentaliter autem coacti quærere fructum ab his balneum omni tempore possumus efficere, ut ex dictis colligi potest.

De hora potus. Cap. VII.

SOlet prætcrea committi ut plurimum alius error non minoris præiudicij, & est, quod summo mane aliqui surgunt, & conferunt sead hos fontes existimantes magis utile esse bibere has aquas ante solis ortũ ad euitandum sudorẽ, qui prouocari solet propter solis uigorẽ in reditu, ne effectum assumptæ aquæ impediat, sed hoc seruari nullo modo debet, tum quia in his regiõibus per tres, uel quatuor horas ab ortu sol non est tanti uigoris, ut nocere possit, tum etiã quia hoc seruãtes sæpe incidunt in febrẽ, uel aliud accidens, queãdmodum euenit annis elapsis III. & R. Domino Cardi. Borromeo redeunti à fontibus, quãdo alij fontes ipsos

petebant. in febrem enim tertianam incidit, quod factum fuit per mo respectu acuitatis aeris, quilicet sit perfectissimus in his partibus, nihilominus ut matutinus semper nocere potest; deinde respectu quietis omissæ: quia ut corpora quiete maxime gaudent, ita eadem priuata tristantur, & labefactantur; ex quo nocuum est in eo tempore summo mane surgere, cum nox breuis sit, & interdiu quiscere non conueniat, ut in fra declarabitur idcirco saluberrimum erit statuere, ut in ortu solis, uel parum ante solis ortum quilibet balnea petat qui aquam hanc potare intendit.

De spacto temporis in potu. Cap. VIII.

AQuam, quam quis sumere præsupponit animaduertat, ne continuata serie bibat, sed in plures uices partiatur, alioquin in hoc maximum inconueniens incurret, quod uomitum facillime excitabit sine aliquo iuuamento propter uentriculi præcipitem distensionem, & arduam defatigationem eiusdem in recipiendo intermissiue magnam aquæ, quantitatem, & non tantum debet tempus interponi inter ciatum, & ciatum, sed & ipse aquæ ciatus leui haustu, non ingurgitando sumi debet; Quare determinari debet, ut sumatur tota aqua in spacio unius horæ, & si quis extendatur usque ad dimidium alterius horæ non erit inconueniens: quia hoc modo euitabitur, quod supradictum fuit.

Quid faciendum ante potum. Cap. VIIII.

PRiusquã aliquis sumat aquam, uacuum habere studeat uentriculum, ut moris est in assumptione cuiuscumque medicamenti, & alui excrementa deijciat, si possibile fuerit, deinde inambulet aliquantisper, & leniter; ita quod corpus non immoderate inca lescat exterius, quia ex tali deambulatione intestina incalescunt, & reduntur validiora tam ad suscipiendam, quàm etiam ed excernendam aquam: calor enim naturalis ex leui exercitio excitatur, & fortior euadit supra id, quod est sibi noxium Determinandum igitur est, ut ieiuno uentriculo aqua sumatur, deiectis prius alui excrementis, & præmissa lenideambulatione, si fieri potest; quod additum est respectu eorum, qui deambulare non possunt, & coguntur sumere aquã in lecto, uel ad aquas se conferunt quouis alio modo, ut fit quotidie, & his loco exercitij succurritur ut in fra.

Vnde incipiendum in poterne. Cap. X.

EX aquis potabilibus Sancti Cassiani licet præcipua laus sit aquæ ficuncellæ eò quod mediate, uel immediate succurrat omnibus humani corporis affectibus vnde tam celebre nomen per vniuersum sibi assumpsit, vt supra declaratum fuit, nihilominus quoniam reliquæ non casu à natura sunt productæ, sed miro artificio, cum sint omnes pro peculiari beneficio datæ, vt dictum est & possibile sit inferri ab aliqua earum damnum aliquod, dum proprium munus exercet, quamadmodum veretur de ficuncella, quod ventriculum ledat, dum hepati succurrit, & de balneo magno, quod dum ventriculum roborat, hepati noceat; id circo declarandum est in præsenti, quis ordo seruandus sit in earum potu. Non desunt ex modernis practicis, qui ante aquam ficuncellę consulunt, ut sumatur aqua Tettuccij ad euitandum nocumentum possibile inferri ab aqua ficuncellæ, & omittunt aquam balnei magni, ut assuetum est antiquitus, attestantes, hepar inflammari ab aqua balnei magni, quod non contingere dicunt ex potu aquæ Tettuccij, vnde cum foueatur ab ea ventriculus sine hepatis offensione, merito concludunt ab ipsa ordiendum esse ante ficuncellá, non á balneo magno Cui opinioni sicut assentire numquam potui, sic nec debeo multis de causis; primò ne prouidenti naturæ inuiriam faciam, à qua cum illud maximum datum sit huic loco, ut si quid nocumenti possit inferri ab aliquo balneo, in promptu reperiatur in ijsdem balneis, quod remouere possit illud nocumentum, vanum existimo, aliunde petere auxilium, quando in loco proprio haberi potest, & quod magis refert, ratio hæc me monet, ne sequar hanc opinionem: quia vbi maius iuuamentum reperitur, non relinquendum est pro minori consequendo, quod autem ab aqua balnei magni proueniat maius iuuamentum, quam ab aqua Tettuccij, inde manifestum apparet, quod aqua balnei magni munitum reddit ventriculum ad euitandum damnum possibile inferri à ficuncella, ut facit aqua Tettuccij, similiter alui excrementa deijcit, & quod præcipuè attendi debet, omnes alias partes, per quas transire debet aqua ficuncellæ, ab excrementis etiam purgat, quod non est datum aquæ Tettuccij, vnde aqua balnei magni cum remoueat ventriculi nocumentum, purget aluum, & præparet omnes alias partes pro transitu

aquæ ficuncellæ, ſequitur, quod ex ipsa conſequatur maius iuuamentum, & per conſequens, quod ab ipſa ſit ordiendum, non ab aqua Tettuccij. Additur ratio ſympathæ, quę reperitur in his aquis, propter quam ſimul cum permanere poſſint, ſuperuacaneum eſt, aliunde petere auxilium, quando proximum eſt ſine ſuſpicione alterationis, Vltimo experientia ipſa à dicta opinione me remouet: antiquitus enim vidi hunc ordinem ſeruatum fuiſſe ſine detrimento, imo cum vtilitate; & ſic eundem ordinem ſeruandum eſſe ſemper atteſtabor, incipiendum videlicet eſſe à balneo magno his, qui ſumere volunt aquam ficuncellæ. Neque ſunt audiendi aſſerentes aquam balnei magni calefacere hepar, & aquã Tettuccij non calefacere, cum non tranſeat per ipſum, ſicut facit aqua balnei magni, primò quia agitur de impoſſibili, quod aliqua portiuncula con tranſeat per hepar, ut moris eſt cuiuscumque rei in ventriculo exiſtentis; deinde quia dato, quod principaliter per ipſum non tranſeat, ſi hepar non calefit ab aqua Tettuccij per tranſitum, poteſt calefieri ex propinquitate contactus, non ſecus ac faciat ignis, præterea quia aqua balnei magni, & ſi ſit facultatis calefactiuæ, nihilominus per duos, vel tres dies in principio aſſumpta hanc facultatem cum detrimento exercere non poteſt tum propter aliarum minerarum participationem refrangentem hanc eius virtutem; tum etiam propter humores exiſtentes in hepate ante propriam euacuationem non permittentes facultatem hanc exerceri. Vltimo quia ſtatim ſuccedit vſus ficuncellæ, quæ non permittit infigi vllum damnum ab aqua balnei magni, ſed tantum ſequi iuuamentum, ſcilicet pręperationem ventriculi, & aliarum partium; ex quo maius cum ſit iuuamentum, quàm detrimentum, in uſu harum aquarum ſtilus antiquus eſt ſequendus. Num autem ſumi debeat aqua balnei magni vno, vel pluribus diebus, conſulendus eſt peritus medicus, qui habita conſideratione debilitatis ventriculi, & obſtructionis aliarum partium determinabit numerum dierum dicti balnei magni inſeruientium pro præparatione ficuncellæ, & ſic purgato aure aud ietur Auic. lib. primo fen. 2. doctr. 2. cap. 16. damnumque euitabitur poſſibile inferri ab aquis aluminoſis non caute adminiſtratis.

De doſi harum aquarum. Cap. XI.

AQuæ Aſſumendæ quantitas præſcribi abſolutè non poteſt, ſed in ea ſeruari debet, quod Gal. 2. de rcen. vict in morb. aiut.

acut. præcipit de alijs medicamentis, qualitas videlicet complexionis: sunt enim aliqui maiori egentes medicamenti quantitate aliqui vero pauciori contenti. Qualitas autem conplexionis est attendenda penes sexum, ætatem, statum; & assuefactionem; mulier namque leuiori eget medicamento, quàm uir, & adolescentes, atque senes non sufferunt illud medicamentum, quod tollerant in consistenti ætate positi, rustici preterea, & ij præsertim, qui vitam agunt in aere grauiori, sunt difficilioris solutionis, & propterea in ijs requiritur maior dosis medicamenti, quàm in nobilibus, vitam presertim agentibus in Ciuitatibus optimi aeris. Idemque seruatur in his qui assuefacti medicamentis, vtuntur eisdem ut cibi, propterea dosis aquæ assumendæ determinate pre scribi non potest. Nihilominus ut distinctè, & ordinatè procedatur in hoc; animaduertendum est, quod pro dosi vel intelligitur dosis quotidiana, vel numerus dierum, si quæritur dosis quotidiana, dicitur, quod minor quantitas in mulieribus, adolescentibus, & senibus non debet esse septem librarū, nec vltra duodecim libras ascendere debent Rustici autem, & qui assiduè medicamentis sunt dediti, non sumant minorem quantitatem duodecim librarum ascendentes vsque ad viginti. Reliqui verò dosim in medio positam seruabunt, & hic ordo sequendus est in omnibus, alioqnin si esset minor quantitas, quam par sit, parum vel nihil aquireretur, cum sit medicamentum adeo familiare, vt à natura amplectatur tamquam cibus, & si esset maior quantitas, quam deceat, uel vomitum excitaret, uel ipsam ventriculi virtutem læderet, unde magis nocere, quam prodesse posset. In hac autem quotidiana dosi duo sunt notanda, quorum alterum est, quod primo die sumi non debet eadem quantitas, quæ sumenda est in sequentibus, sed à pauciori quantitate ordiendum est, & procedendum gradatim vsque ad quartum diem, & postea permanendum semper in eadem quantitate alterum est, quod si dum bibitur, euenerit, ut uomitus excitetur, quod fit ut plurimum primo, & secundo die, non debet sumi alia aqua vice reiectę per uomitum, sed sufficit unicuique peruenire ad quantitatem sibi assignatam, dummodo per vomitum non iudicetur redditam esse vltra quartā partem aquæ assumptæ in quo casu necessarium est repetere aliquam portionem reiectæ aquæ, & sic in quotidiana dosi statuitur, quod gradatim procedatur ad assignatam quantitatem pro diuersitate complexionis, & si reijciatur aqua supra quartam partem, assu-

matur denuo aliqua portio aquæ pro ea, quæ reiecta fuit si deinde quæritur numerus dierum, determinatur, quod cum balnea nõ petantur ut plurimum nisi ex causa multum necessaria, & comunis; schola non imperet vsum balneor nisi in fortibus ægritudinibus; sic etiam debet numerus dierum proportionari qualitati conplexionis, & affectus; & absolute non debet esse minor quindecim dierum, & prosequi quilibet potest, vsque ad viginti, & triginta cum beneficio absque detrimenti suspicione, cum agant aquæ iste, non sola qualitate, sed quantitate dosis, & dierum. Qui uerò eis utuntur leui de causa, his sufficit numerus decem, vel duodecim dierũ, & hæc sufficiant de quantitate dosis assumendæ:

De victus ratione in potu. Cap. XII.

DE victus ratione seruandi in eporu harum aquarum ut sermo fiat, primò notandum est, quod quemadmodum ex Gal. in lib. de nat. hum. com. 2. pro victu quandoque non solus cibus, & potus intelligitur, sed sæpe hoc nomine omnia vitę instituta comprehenduntur, sic in præsenti non intelligitur solum de cibo, & potu; sed etiam de regimine omnium rerum non naturalium, & animi accidetium, & præcipue de aere, qui eligendus est placidus, non nimis frigidus, nec valde calidus; vnde circa solis ortũ (vt notatum est supra) non multum ante proficiscendum est ad potum propter aeris serenitatẽ frigidam semper existentem in his regionibus, nec nimis tardandum post solis ortum, ut caliditas euitetur, quæ assiduè inualescit in illis temporibus ab ortu solis. Similiter abstinendum est à potu in aere extreme calido, & sicco propter innatæ virtutis debilitatem, quæ ut aduersatur vsui aliorum medicamentorum ex Gal. sic etiam prohibet vsum harum aquarum in his temporibus; nec etiam tentandus est usus earundem in aere extreme frigido, & sicco, & quando uenti extremè in sufflant; quare aer amenus esse debet, & propterea aerem vernalem, vel autumnalem eligendum esse supra fuit determinatum. De cibo postea, & potu tria sunt, quæ perpendi debent, quãtitas, qualitas, & quando administrari debeant: debemus enim inprimis quantitatem examinare: quia in potu harum aquarum licet vigeat fames, cauendum tamen est à superflua cibi quantitate, ne præcipua morborum causa excitetur, quæ à repletione ex Hipp. originem trahit, & quoniam præcisa quantitas præscribi

non

non potest respectu diuersitatis complexionum appetentium maiorem, uel minorem cibi quantitatem, satis erit in hoc recordari eius, quod dixit Gal. in lib. art. med. cap. 8. quod uidelicet prætidie non eget, qui singulorum, quę apponuntur, quantitatem imetitur pro æqualitate appetitus, & coctionis, illiosque dicti meminisse, quod sicut sine fame nullus debet accedere ad mentam, sic nec vllus à mensa sine fame surgere debet. Quod facilius seruabitur, si uariatis cibis corpus non cibetur, quod attendendum est in qualitate cibi assumendi: dum enim præmanibus plures cibos hæbemus, inminet repletionis periculum, quarè cibi qualitas simplex sit, & sit cibus elixus, non diuersimode præparatus: quia hoc modo euitabitur repletio, nec ventriculus defatigatus in digestione aquæ assumptæ lædetur, cum facilius cibos elixos, quam alio modo præparatos concoquat, non tamen negauerim, ut aliquando in principio mensæ consedatur vsus animularum, & hepatum pullorum stufatorum, sed cum uire. & pinguedine castratorum, atque succo agrestæ; nec similiter negauerim in fine mensæ cerasa amarena cocta, & amygdala recentia, similesque fructus. Cibi deinde qualitas non solum consistit in pręparatione, sed etiam in electione, unde cibus debet esse pullorum, ueruecis, hedorum, vitularum, & pipionum in his diebus, in quibus licet commedere carnem; in alijs autem diebus oua sunt eligenda, cucurbitæ blitum, & borrago, quæ non cum oleo, sed cum ouis præparentur, similiter oua non frixa, nec tosta sunt coquenda, & abstinendum est ab alijs carnibus, piscibus, lacticiorjs, fructibus, aromaticis, & alijs ualde calidis cibi, acutis salsis, & ad caput effumantibus, si cõsequi exoptamus vtilitatẽ ex his fontibus. Vinũ præterea eligatur ponticũ, nõ dulce, & albũ, sufficienter linfatũ, nõ cũ aqua balnei, ut quibusdã placet, sed cũ alia cocta, vel leui cruda, & in hac salutari dieta ieiuniũ seruandũ est, non enim qua uis hora cibus assumendus est, sed statuto tempore. Quando autẽ sit cibus assumendus, determinari neq; hoc absolute potest, cum alijcitius, alij tardius cõmedere cogantur, vel propter celeritatẽ, & tarditatẽ digestionis aquæ assumpte; uel etiã, quia inueniuntur aliqui nõ valentes sufferre longam inediam. Pro determinatioue tamen concludendũ est, expectandũ esse aquæ digestionẽ non ex toto corpore: quia hæc (ut declaratũ est supra) nõ fit ne dum ante prandiũ, sed nec post prandiũ, & propter hoc nõ sunt audiendi, qui putant non esse cibum assumendum, donec tota aqua reddita non fuerit; sed sufficit expectare digestionem aquæ, quæ

fieri debet in ventriculo, & fieri non poteſt in minori ſpacio ſeptem horarum; & quandoque in ſpacio octo, vel nouem horarum Nec ſimiliter ſemper ſunt audiendi, qui dicunt poſſe commedi, quando lotium redditur coloratum, quaſi ſit certum ſignum digeſtionis: quia vrina ut in multis fallax eſt, ſicut quotidie in comuni praxi cernitur, ſic etiam in hac aquæ digeſtione fallere poteſt, cum poſſit colorari ante digeſtionem, uel propter eccesſum caloris hepatis, uel propter mixtionē humorum ab ipſa aqua eductorum ſicut fieri cernitur primis diebus aſſumptionis aquæ, in quibus vna, vel duobus horis ab aſſumptione aquæ redditur vrina colorata quàmuis aqua ad huc ſuperſit in ventriculo. Seruetur igitur hæc regula, ut ieiunetur aqua ad minus ſeptem horis, & non excedatur ſpacium nouem horarum, quàmuis vrina non ſit colorata, tum quia ventriculus labefactaretur ex tam longa inedia, tum etiam quia non colorari vrinam intra dictum tempus non poteſt procedere ex indigeſtione, ſed alia de cauſa, nempe ex debilitate, & frigiditate corporis, vt colligitur ex Gal. de dyn. & ideo concludi poteſt, quod licet vrina ſit index indigeſtionis ex Gal. loco citato, non tamen ſemper oſtendit verum, vt idémet aſſerit 3. de præſag. ex pulſ. vnde non ſemper eſt expectanda vrina colorata, ſed ſufficit ſpacium temporis aſſignatum pro determinatione horę prandij. De ſero autem num liceat aliquid ſumere, dubitatur à multis; dicunt enim aliqui, nihil ſumendum eſſe de ſero, primò quia cum parum temporis interſit à commeſtione ad horā eundi dormitum, digeſtio facta eſſe non poteſt, præſetim quod in prandio optime commeditur; propterea ne turbetur digeſtio, & ventriculus lędatur, nihil de ſero ſumendum eſſe concludunt, deinde à cibo abſtinendum eſſe dicto tempore aſſerunt, ut ventriculus die ſequenti ſit melius diſpoſitus ad aquæ aſſumptionem: Verum, ſit pace horum dictum, hęc opinio mihi non arridet: conſulo enim, vt aliquid ſumatur: priuſquam ad dormiendum quis eat, primò ut fugiatur nimia ſatietas in prandio, quod maximè attendi debet, ne alteratiua debilis tunc exiſtens nimis fatigetur, deinde pro conciliatione ſomni. ſed animaduertendum eſt, quod ſufficit paucus cibus, & facilis concoctionis, qualis eſt in diebus carnis parum panatellę in iure carnis, deſuper bibendo parum vini optime linfati, in alijs autem diebus ſorbitio vitelli vnius oui uel duorum recentium cauendumque eſt ab azimis quouis modo factis, cum difficillime digerantur, & hoc modo verendum

non est de impedimento digestionis: quia licet in dicto tempore non sit omnino absoluta digestio, nihilominus reperitur in tali statu, ut turbari non possit ab assumptione pauci cibi facilisque concoctanis, & istiusmodi cibus uentriculum impedire non potest in assumptione aquæ. Superest nunc videre, quid agendum sit circa motum, & quietem; somnum, & vigiliam, inanitionem, & repletionem, vt compleatur sermo de regimine rerum non naturalium. De motu igitur, & quiete loquendo animaduertendum est, quod dum bibitnr aqua, nec non etiam transacta potione quiescere nemo debet per tres, uel quatuor horas, sed assiduè se exercere, non tamen cum uiolentia, ne sudor prouocetur: quia si cum uiolento exercitio excitaretur, damnum hoc sequeretur, quod aqua à proprio cursu auocaretur, cum per secessum, & vrinam, non per sudorem reddi debeat; prçterquam quod euacuatio per sudorem est minus salubris, & in ea uirtus magis debilitatur quarè mitis esse debet motus. Transacto postea dicto tempore non semper deambulandum est, sed quandoque quiescendū per inter ualla usque ad horam prandij, & post prandium consumi potest tempus in ludis, & alijs solatijs. donec accedat uigesima secunda hora, quo tempore beambulandum est ad loca aperta ad fruendam aeris amenitatem per horam cum dimidia, ut deinde gratior sit somnus, & quies nocturna. Qui uero deambulare non possunt, his concedi potest, ut equitando se exerceant, dum aquā bibunt, quemadmodum annis elapsis fuit factum in nobili quadam muliere Camerinensi, cum non posset proprijs pedibus se exercere, deferri etiam conceditur super sedem loco exercitij, & tandem conceditur, ut proprio cubili aquam quis sumat calido existente thalamo, pannis optime coopertus, uentriculoque pannis calefacto, ac minime dormiendo, ut fecit Dominus Ioannes Maria prçdictus prima uice, qua accessit ad hçc balnea, & quotidie faciunt multi. In his autem, qui equitando, aut super sedem, uel proprio cubili aquam sument, quoniam seruari non potest dictū Hipp. part. 4. aph. 15. eo ad iuuanda est debiles aquarum solutio cum calcari vnciæ unius, uel duarum syr. rof. sol. uel alterius rei qualibet mane, ubi alijs sufficit tribuere prima tantum mane cum primo ciato aquç uncias tres, vel quatuor syr. rof. sol. uel mell. rof. uel alterius syr: pro diuersitate affectuum, uel etiam salis comunis collari uno, uel duobus secumdum corporis dispositionem ad lubricitatem, uel stipticitatē. De somno, & uigilia

loquendo

loquendo cauendum est in primis à nocturnis vigilijs: quoniam cum vires lædant, easque resoluant ex Gal. 12. meth. & inter causas extrinsecas, easque recentes læsionum nostri corporis numerentur ab eodem in lib. de nat. hum, com. 1. fugiendæ semper sunt, & præsertim in hoc tempore, in quo corpus assidue deambulans, laborat, & virtus fatigata in digestione harum aquarum redditur debilis; propterea non vigilijs, sed somno in nocte egent, qui balneis vtuntur in potu, & eò magis, quia interdiu nullo pacto dormiendum est, atque à somno diurno tamquam à peste quilibet alienus esse debet: non enim tantum obest, sed etiam non nullos necat, ut fieri vidi annis elapsis. Nec imitandi sunt, qui post prandium quandoque dormire solent, quoniam de raro accidit, ut non verificetur, quod dicit Gal. com. 4. aph. 67. quod videlicet ad somnum conuersis post cibum caput impletur: quia si possibile est hoc euenire quouis tempore, in hoc præsertim est facillimum, cum corpus satis ample nutriatur, & caput ex precedenti euacuationem reddatur magis dispositum ad suscipiendos uapores, quare post prandium non est dormiendum, & ideo à nocturnis uigilijs abstinendum. Quod ut facilius exequi possit, animi accidentia corrigi debent, cum ab ipsis ex Gal. 12. meth. ut plurimum excitentur uigilie; idcirco omnes animi immodici affectus positi à Gal. in lib. art. med. cap. 85. sunt deponondi, scilicet ira, tristitià, excande scentia, timor, & inuidia, cum hec corpus alterent, & à naturali statu auertant. Qui uero huic medicamento in cumbit, in ludis, & solatij s commorari debet, non tamen sint ludi uitiosi, quoniam animi affectus commouere possunt. cum nullus possit esse adeo constans- ut sentiens damnum ex ludo alicuis momenti, aptus sit corrigere animi affectus, incũbere igitur ludo quilibet debet pro solatio, non pro lucro; Nec pariter solatia talia esse debent, ur uenereos affectus excitent: quoniam eorum tempus opportunum non est balneorum usus, ut colligi potest ex Gal. in lib. art. med. cap. 85, ubi assignans tempus opportunum ad eum utendum dicit, corpus in omnium rerum circunstantiam ex qui sita mediocretate debere esse constitutum, adeo ut non sit supra modum plenum, neque uacuum, neque excedat in calore aut frigore, aut siccitate, aut humidìtate, & si quando contigerit aberrare, subiungit, melius esse ut quis uenereis utatur corpore magis calefacto, quàm infrigidato, & pleno, quam uacuo, & humecto potius, quàm exiccato; quorum contra-

ſum inuenitur in vſu balneorum, quouis modo adminiſtrentur Idcirco abſtinendum eſt à venereis, & ab his, quæ venereos affectus excitare poſſunt; eòque magis à coitu eſt abſtinendum: quia vltimi alimenti euacuatio cum fiat per ipſum, incidetur in errorem inanitionis, quæ euitari debet in balneis non ſecus, ac repletio; & ita ſtandum eſt in regimine omnium rerum non naturalium, ut ex his Thermis conſequi quilibet poſſit fructus, dum in potu adminiſtrantur.

De regulis ſeruandis in his balneis extrinſece adminiſtratis. Cap. XIII.

THermæ Sancti Caſſiani celebres cum ſint non tantum ex mirabilbus effectibus earum, ſed etim ex vniuerſali earundẽ adminiſtratione; propterea enarratis regulis ſeruandis in vsu potus, reliquum eſt uidere, quid ſit ſeruandum, quando extrinſece adminiſtrantur. Quoniam autem extrinſeca earum adminiſtratio conſiſtit in infuſione, duccia, & linimento, rationi congruũ videtur, de his prius dicendum eſſe, quæ ſeruari debent in infuſione, cum balneorum vſus magis vniuerſalis ſit infuſio, quàm lininentum, & duccia, vt ſupra dictum fuit. Vt igitur ordinate, rectaque methodo in infuſione procedamus, ante omnia qualitatem affectus perpendere debemus, ſi cupimus maximos eorum errores ſubterfugere, qui nulla habita affectus conſideratione immergi ægrotos conſulunt in his aquis thermalibus, vnde potius damnum, quam iuuamentum ſequitur: affectus enim vt extrinſece, & intrinſece moueri poteſt, & in diuerſo reperitur ſtatu, ſic etiam diuerſimode mederi debet, & id circo quando patiens pro curatione accedens ad hæc balnea offertur, de qualitate affectus, eiusdemque origine eſt axaminandus, ut ei recta curandi methodus aſſignetur. Quando igitur quis ex trinſece in parte aliqua offenſus fuerit, vel ex caſu, vel ex uulnere, aut alia ſimili occaſione, tunc certè ſufficit ei pro infuſione partis lęſæ vniuerſalis pręparatio ſyrupporum, & pharmacorum; verum ſi pars aliqua inualueat ex cauſa intrinſeca, cuiuſmodi eſt paralyſis, Iſchias, ulcus doloroſum, & crucians cum oſſis corroſione, & ſimiles affectus, tunc poſt vniuerſalem præparationem ad particularem deueniendum eſt, priuſquam infuſioni patiens ſubijciatur, quæ ſit cum ijſdem aquis in potu, & duccia adminiſtraris; & di-

citur particularis, non solum quia sic administratæ, respiciunt causam efficientem à mala hepatis dispositione prouenientem, & causam materialem á capite in subiectas partes influentem; sed ex particulari earum effectu: quia vtramque causã corrigentes primò humores noxios soluendo euacuant, mox adstringendo fluxum humorum à partibus affectis remouent, & sic tuto in balneis infundi possunt, certiorque salus ex ipsis reportatur. Nec sit, qui dicere audeat, vanam esse hanc intentionem in balneis, cum ad ipsa recurrant morbi in facto esse, non in fieri, & propterea satis esse per balneationem læse parti succurrere, nec frustra terendum esse tempus in eius recuperatione, quod iam transijt: quia supradicta curandi intentio licet necessaria non sit ex parte originis; est tamẽ necessaria exparte conseruationis, cum assidue influens humor morbum conseruet in parte affecta; vnde perfectè curari non potest læsa pars, nisi prius cohibeatur, quod eam assidue lędit, nec ab isto ordine recedat, qui cupit optatam reportare salutem, eamdemque stabilem, alioquin tuta non erit recuperata salus, & ideo nullus mirari debet, si quando post balnea inordinate administrata affectus reuiuiscit, & interdum fit peioris conditionis; rectæque administrationis exemplum sumatur præcipuè à supradicto Domino Ioanne Maria signo, qui vlcere affecto in talo, ut supra dictum fuit, accedens ad hæc balnea exactissimè Florentiæ curatus fuit, sed hanc præparationem non sufficientem iudicans ob dictam rationem, particulari cum subijcere volui curationi, nempe epotu, aquæ ficuncelle, & Buxi, Docciæque capiti opportunæ, antequam læsam partem exponerem infusioni, & docciæ sancti Georgij, & iste curandi modus quãuis non fuisset ei ab Excellentissimis Medicis Florentiæ assignatus, fuit nihilominus confirmatus statim, ac eis per litteras à Nobili laudomia eius matre fuit expositus, & hunc ordinem secutus ad optatam salutem peruenit, nec non perueniet, qui eundem sequetur. Vnde pro balneandis statui potest hæc prima regula, ut qui detinentur affectione inquauis corporis parte ex causa intrinseca, non exponant læsam partem infusioni, quin prius læsionis causam emendent purgatione vniuersali medicamentorum, & particulari aquarum thermalium. Quibus verò pars est affecta ex causa extrinseca, sufficit pro infusione vniuersalis purgatio, dummodo in affectione nõ concurrat aliquid intrinsecus, in quo casu requiretur etiam particularis præparatio, prout Physici extimatiua

Comatina iudicabit necessarium pro consecutione salutis. Est præterea ante ingressum balneorum obseruandum, ut alui excrementa in primis emittantur, totumque corpus expurgetur; alioquin quemadmodum in exercitatione assumpta ante expulsionem excrementorum in vesica, & inferioribus intestinis contentorum imminet periculum, ne quid ex his in ambitum corporis rapiatur raptũ uidelicet caloris ui, qui per exercitationẽ accenditur, vt narrat Gal. 2. de san. tuen. cap. 2. ita in balneatione idem periculũ imminet, cum balneum ex Gal. 2. de sympt. caus. cap. 5. sit ex his quæ excrementa quieta calefaciendo, attenuando, & in spiritum vertendo ad motum excitent, unde postea dictum periculum excitari potest, & accidentia ab eo dependentia à Gal. locis citatis enarrata; & precipue 5. de san. tuen. & 3. de roe. vict. dicente. Sciueris in vniuersũ de Balneorũ viribus in particularibus curãdis affectibus, quod si nõ euacuato prius corpore adhibeantur, membris affectis fluxionẽ pariunt, quare corpus ab excremẽtis quilibet exonorare cõetur, priusquã in balneis immergatur, & sic etiã obtemperabitur præcepto Hipp. cõ 3. de vict. roe. in morb. auit. 59. Quod si natura nõ cõcedatur exonerari posse corpus ab excrementis, fiat arte, uel suppositorio, uel cly stere alternis saltẽ diebus, ne diu excrementa etiã in corpore detẽta, uel putrescant, vt notat Gal. 3 de nat. facult. cap. 12. uel sursũ recurrant, uel alia excitent accidẽtia. Erit insuper satis vtile ante ingressũ aliquãtisper, & cõmodè deambulare: quia uires hoc pacto experge factæ corpus disponũt ad sufferẽda facilius incõmoda balneorũ, expultrix facultas excitatur ad profligationẽ noxiorũ humorũ in quacũq; parte corqoris cõtineantur, & quod præcipuè attẽdi debet, ex genuini caloris excitatione singulæ corporis partes præparãtur ad suscipiendã vtilitatẽ ex ijsdẽ balneis. Salubre igitur cuilibet erit ante infusionẽ aliquãtisper se exercere; qui verò aliquo impedimẽto detenti hoc efficere nõ possunt, loco exercitij frictionibus vtantur, cũ ex ipsis etiã satis cõmodè cõsequi vnus, puisq; possit quod propositũ est de exercitio. In ipso autẽ ingressu hora ast examinanda, spaciũ temporis, quo permanere quis debet in balneo; ordo seruãdus in ingressu, permansione, & egressu; & ultimo regimẽ uictus. Quod spectat ad primũ, cũ bis ingrediatur in die in balneũ, hora matutina nõ debet esse ante solis ortũ: quia tũc tẽporis aer frigidus existens ex sui natura, corporũ trãspirationẽ prohibet eãdẽq; cõdensat, vbi requiritur in ipsis laxatio, & licet à balneo proprio laxẽtur

propter præcedentem constipationem non sit sine aliqua virtutis alteratione. Preterea partes existentes supra aquam, ab ambiente frigido semper existente ante solis ortum maxime offendi possunt, propterea á balneatione abstinẽdum ante solis ortum. Nec etiam conuenit hoc fieri in ipso solis ortu ob aeris impuritatem: sol enim oriens attrahit, quod est subtilissimum, & necessario uaporibus aerem inebriat, unde impurum reddi fatendũ est, existente autem sic impuro aere corpora etiam impura redduntur, propterea tunc temporis à balneatione sunt abstinenda: quia sic impura à balneis excitata in febrem, vel aliud accidens incurrere possent; condecens igitur hora erit in mane una hora post solis ortum, quo tempore aer benignior erit, & corpora à superfluitatibus expurgata. Post prandium autem hora erit satis distans ab assumptione cibi, & potus: maxime enim cauendum est ex præcepto Hipp. & Gal. 3. de roe. vict. in morb. acut. tex. 55. ne qui nuper commederunt, vel biberunt, balneentur, cum his caput impleatur, qui biberunt, & qui cibum sumpserunt, non caput modo, sed corpus totum alimoniam ad se prius, quàm concocta fuerint, trahent, cui sententiæ se subscribit etiam Auic. lib. primo fen. 2. doctr. 2 cap. 19. dicens. Ingredientes in balneum illico post saturitatem in oppilationem incurrere, propteraequod à stomacho, & ab hepate nutrimentum ad membria trahitur non coctum. Idcirco post prandium cum expectari debeat concoctio, hora balneandi satis distans ab ipso esse debet: quia concoctio fieri non potest minori spacio sex, vel septem horarum, & tunc ad balneum ast accedendum. Spacium permanendi in balneo determinari non potest, & propter complexionis varietatem, nec non etiam propter diuersam morbi qualitatem; qui enim robusti sunt, & in medio vitę statu, facillime horam tollerant, senes verò adolescentes, & qui virtute sunt imbeccilli, terminum horę attingere non valent; præterea qui balneare intendunt extremitates tantũ possunt diutius permanere in balneo, quàm qui corpus totum, vel eiusdem potiorem partem aquis subijcere coguntur pro determinatio ne tamen dici potest, quod spacium permanendi in balneo his, qui extremitates egent balneare, potest assignari usque ad duas horas; his verò, qui corpus totum, vel potiorem eius partem in fundere debent, si uirtute sint satis valida, assignari potest hora integra si vero debiles sint, nullum aliud assignari debet spacium, nisi virtutis tollerantia, ut euitentur nocumenta prouenien

tia

tia ex longiori mora, quam deceat, ab Auic. enarrata in tertio tractatu libelli dicti de remouendis nocumentis, quæ accidunt in regimine sanitatis, & sic terminus assignabitur mediæ horæ in principio, qui postea augebitur, prout vires sufferre videbuntur. Ordo autem seruandus in ingressu, permansione, & egressu tanti momenti est, ut Hipp. 5. de roe. vict. in morb. acut. tex. 46. dixerit, quod si exacta cura inter lauandum non adhibeatur, non mediocre proueniet à lauacro malum in quibus verò consustat ordo iste, ex eodem Hipp. loco citato colligi potest, dum examinat regimen victus in rebus non naturalibus, nec non in cibo, & potu obseruationem euim in primis proponit in aere, quod intelligi debet non tantum in balneo, sed præcipuè in eius ingressu, vt colligitur ex illis uerbis (ad balneum via sit breuis) quasi dicat, ne dum quis expoliatus ad balneum se confert, à frigiditate ambentis offendatur vnde liquido constat, quantum quis erret, dum longe à balneo spoliatur: quia hoc pacto in accessu, & recessu refrigerandi periculum imminet; ex quo (si fieri potest) quilibet studeat spoliari in ipso balneo, ne offendatur ab ambiente in via, obseruationem prẹterea proponit in motu, & quiete dicens. Ingressum facilem debere esse, & egressum similiter, quod autem per hẹc verba intelligi possint motus, & quies, colligitur ex eo, quod dicit Paulus Aegineta lib. primo cap. 52. asserens in aquam sine tumultu, & lente descendi debere, cuius opinionis est etiam Aetius dicens lib. 3. de remed. cap. 177. balneorum aquas sensim, & leniter ingredi oportere: quia hoc pacto laxo corpori occurrentes interius penetrant, qui verò tumultnose, & turbulente insiliunt, horum corpora densantur, & in horressunt, neque aquarum qualitatem suscipiunt. Neque hoc solum seruandum in ingressu, sed dum etiam quis permanet in balneo; quietè enim standum esse in balneo præcipit idem Hipp. quia, vt docet etiam Gal. corpus in balneo dum mollius, & laxius reddi debet, cum mouetur, musculi tenduntur, tensi verò minus tum molliuntur, tum relaxantur idemque affirmat Auic. lib. primo fen. 2. doctr. 2. cap. 19. dicens in balneis qui voluerit balneari, oportet vt in eis balneetur quiete, suauiter, ordinatim, & non subito; quare in ingressu leniter, & gradatim procedatur primò subijciendo corpus vsque ad os ventriculi, mox vsque ad pectus, vltimo usque ad ceruicem, & non totum corpus illico, quo modo ingressus, & permãsio erunt faciles, nec grauabitur natura subitis mutationibus,

balnei-

balneique laborem quilibet facilius tollerabit. Egressus pariter facilis esse debet ex eodem Hipp. qui talis erit, si contrarius seruetur ordo in exitu ei, qui propositus fuit in ingressu, scilicet, ut quæ pars fuit vltima in ingressu, sit prima in exitu, & lineo panno exiccetur, mox gradatim totum corpus ita præparetur, & vltimò optime coopertum commode ad lectum deferatur calidum, si fieri potest, ut facilius expurgetur, quod balneum à centro ad circunferentiam concitauit, & euocauit; non fiat igitur subitus exitus à balneo, & sine præparatione vt iuuamentum absque detrimento à lauacro reportetur. Dum autem quis in lecto moratur post balneum, an liceat dormire, & prouocandus sit sudor, est etiam examinandum, ut ordo in omnibus diligentissime seruetur. Gal. com. 3. de vict. roe. in morb. acut. si declarat non semper laborantem ad balneum duci euacuandi corpus gratia, sed interdum ut humectetur, & madescat, quod immoderatius exaruit, ex quo colligitur non semper prouocandum esse sudorem, sed in ijs tantum morbis, qui non egent humectatione, & hoc nedum in lecto, sed etiam in balneo est attendendum, ut ex loco citato Gal. colligitur. Somnum autem ex Andrea Baccio lib. 7. cap. 25. concedi posse colligitur post balneum; propterea quod si somnes à balneo, & causa, & signum est percommodum speratæ vtilitatis, & è diuerso non posse à balneo dormire, nec causa, nec signum est commodum, cũ nihil sit, quod æque concoquat ea quę concoqui possunt, & malos succos per habitum digerat, quam somnus; pręsertim à balneo, ut etiam attestatur Gal. . de san. tuen. videtur sine dubio concedi posse somnum post balneum, sed breuis esse debet, ne caput offendat.

Restat vltimo agatur de cibo, & potu, de quibus hæc tria perquiri debent, hora in primis, qua corpora sunt cibanda; deinde qualitas cibi, & potus, vltimo quantitas: in hora enim maximos vidi committi errores, dum prope ingressum, in ipso etiam balneo, vel statim post egressum non nulli tentarunt vel cibo, uel potu corpora nutrire, quod non conuenit vllo modo. Quod sit error propè ingressum corpora cibare, ex supradictis liquido constat, & si periculum imminet in cibatione corporum ante balneum, multo magis imminebit, si cibentur in balneo, cum in ipso sint porositates iam apertæ, & meatus rorefacti, vnde facilior fit transitus alimoniæ non coctæ ad corpus tutum, ex quo nec in balneo licet cibare corpora, sed post balneum; non tamen confestim

à balneo

à balneo sorbendum est, uel bibendum ex eodem Hipp. quia prę terquam quod cibum, uel potum sumere protinus replet caput, interdum etiam sic deuoratum superfluitare facit, ut testatur Gal. in expositione dicti ab Hipp. sedata igitur, quę ex balneo est turbatione commedere, uel bibere conuenit, quod fiet spacio uni us horæ, uel vltra, quo tempore exiens à balneo quiescat in lecto, donec caliditas fomentata ad benignitatem reducatur, & proprio calore corpus fruatur, & tunc temporis cibus sumendus est, & potus eiusdem qualitatis, de qua facta est mentio in potu. Potest tamen aliquid indulgeri his, qui balneantur præter cibos elixos, ut conseruetur in eis gustus, & appetitus, qui facillime in lauacro deperditur, & licet eius vice sitis inualescat, nihilominus à potu præter cibum maxime abstinendum est, præsertim aquæ frigidę, & in balneo, & post balneum: quia (ut monet Auic.) perueniens hæc ad stomachum propter aperitionem porositatum & meatuum, subito attrahitur ad hepar, & cor, unde infrigidantur ambo infrigidatione vehementi, aut debilitatur caliditas naturalis, & debilitantur, omnia viscera, & fieri potest dispositio ad hydropisim. Et hoc etiam Aetius sermone 13. 2. lib. cap. 83. reprobat dicens frigidam aquam potam à balneo morsus, doloresq; inducere, & subiungens idem effici à uino meraco, aut passo tacite damnet eos, qui exeuntes a balneo vtuntur pane infuso in huiusmodi vino, & ex tali infusione non parua oriri incommoda compertum est. Sunt igitur corpora cibanda, postquam à balneo quieuerint, vna, uel duabus horis, perfectaque cibi qualitate; & à satietate abstinendum est, præsertim in prandio propter lauacrum vesperi reiterandum; coena verò vberior concedi potest, & propter distantiam lauacri matutini, nec non etiam quia in somno nocturno fit perfecta concoctio nutrimenti assumpti, & sic in prandio sunt pauciori cibo corpora cibanda, quam in coena quę ordinem qui seruauerint, succedet eis, quod docit Hipp. loco citato scilicet, quod omnia ex lauacro commoda assequētur, quibus indigent, quod si in re unica, uel pluribus peccatum inciderit tantum abest ut prosit, quod potius noceat. Nec solum hoc est faciendum in vsu lauacri proprij, sed per aliquot dies post lauacrū quemadmodam est etiam faciendum in vsu potus propter uirtutis debilitatem relictam à fatigatione aquę assumpte, & lauacri seruetur igtur ordo in omnibus, ne balneis tribuatur, quod incuriæ est adscribendum, vt alias dictum fuit.

Quid

Quid seruandum sit in Duccia. Cap. XIIII.

TRia cum sint stillicidia vsitata in Thermis Sancti Cassiani, ut supra notatum est, ne fiat confusio in his tradendis, quæ seruari debent in quolibet eorum, prius determinādum est, quod sermo fiet de principali stillicidio capiti deseruiente; mox de eo, quo vtimur in corroboratione ventriculi; vltimo de stillicidio Sancti Georgij. Ordo seruandus inprimo stillicidio in aliquibus conueniens cum regulis infusioni deseruientibus, examinabitur tantum in his, quæ particulariter ad ipsum spectant, & erunt, primo quid faciendum sit, antequam caput stillicidio subijciatur; deinde quid faciendum in ipso stillicidio, tertio, & vltimò quid sit faciendum post stillicidium. Quod spectat ad primum, animaduertendum est, quod prius corpus totum, & pręcipue caput præparandum est vniuersali præparatione, & particulari, ut dictū est in examine lauacri; sed facienda est distinctio qualitatis affectus: si enim affectus est per essentiam in capite, tunc post uniuersalem pręparationem particularis sit usus aquę Buxi per sex, uel octo dies. Si uero affectus est in capite per accidens, & per consensū, tunc præmissa uniuersali præparatione corrigenda est pars fouens affectum cum aqua ficuncellæ, si ab hepate morbus foueatur, uel cum aqua balnei magni, si uentriculus sit causa indispositionis, & ultimo accedendum est ad potum aquę Buxi per duos dies ante stillicidium pro eiusdem dispositione. Quod spectat ad secundum, in his tribus consistit, primo iu ordine subijciendi stillicidio; deinde in hora; ultimo in spacio temporis stillicidij. Subijci stillicidio nullus debet, quin prius commissura coronalis exactissime à pilis abradatur; præterea magnæ aquæ quantitati illico subijciendum non est, sed primis tribus diebus incipi debet cum pauciori quantitate, & postea accedendum est gradatim ad maiorem ducciam, & in quantitate etiam respiciendum est ad diuersitatem complexionis; minor enim quantitas requiritur in adolescentibus, quàm in adultis. Hora autem, qua quis ad ducciam accedere debet, sit duabus horis ad minus post solis ortum quia si cauondum est ab aeris intemperie in infusione, multò magis fieri debet in duccia, cum agatur de parte ex natura propria aeris offensioni subiecta, & eò magis dum curatur stillicidio, quod ipsius poros aperiens aeris frigiditatem facilius penetiare facit;

poteſt

poteſt deinde proſequi vſque ad horam duodecimam, & tertiam decimam de mane; In ſero autem incipi poteſt ſtillicidium hora vigeſima vſque ad vigeſimam ſecundam. Spacium temporis, vel conſidaretur quotidianum, uel dierū; quotidianum ſpacium eſt hora tantum ſecundū comunē vſum, attamen ſi puer ſit, & adoleſcens, non debet commorari ſub ſtillicidio, ſicut commorantur. qui ætate ſunt conſiſtenti. Si conſideratur ſpacium dierum, in hoc caſu reſpiciendum eſt ad affectum, etenim ſi ſit affectus per accidens, tunc requirit minus temporis ſpacium, quàm ſi ſit per eſſentiam, & ita in primo caſu ſufficere poteſt ſpacium quindecim dierum, in ſecundo autem ad menſem aſcendendum eſt, & interdum ad quadraginta dies. Poſt diurnum ſtillicidium debet prius caput calidis pannis diligentiſſime exuccari, poſtea commiſſura coronalis liniri aqua ardenti, & puluere capitali inſpergi, deſuper roſaceum pannum ponendo, lineumque pileolum pro aeris defenſione. In fine vero totius ſtillicidij denuo accedendum per duos dies ad potum apuæ Buxi, vt purgetur, ſi quid irreſolutum à duccia ſit relictū, & caput ita coopertum præſeruetur per decem, uel quindecim dies. In regimine rerum non naturalium, cibique, & potus, ſeruetur ordo infuſionis; & hæc dixiſſe ſufficiat de his, quæ particulariter requiruntur in adminiſtratione ducciæ capitis. In ſtillicidio balnei magni duo ſufficit dicere, de ſpacio temporis, & de eo, quod fieri debet poſt ducciam, & in reliquis ſeruandum eſt, quod dictum eſt ſupra. Spacium temporis eſt hora tantum pro qualibet vice; & dierum ſpacium eſt octo, vel decem dierum, quod ſpacium ſufficit in quauis graui indiſpoſitione, quamuis in caſu præalligati Domini Hermanni de Staphis terminus fuerit viginti dierum, quod factum fuit reſpectu grauiſſimi affectus, & debilitatis artificialis ducciæ. Peracto deinde quotidiano ſtillicidio pannis calidis, exactè ventriculus exuccandus eſt, & poſtea inungi debet aliquo linimento ipſum roborante, quale eſt oleum de nuce muſcata, de menta, maſtice; ſimilibuſque oleis per ſe, vel ſimul mixtis pro intentione imperantis. Pro ſtillicidio tandem Sancti Georgij ſufficit hoc dicere, quod præmiſſis alijs ſolitis præparationibus debet etiam pars affecta diſponi per infuſionem eiuſdem balnei per tres, uel quatuor dies, deinde ſubijci ſtillicidio dicto, in quo quis permanere poteſt hora, ſemihora, vſq; ad duas horas, vlteriuſq; poſt exitum à duccia expurgandum eſt, apertumque ſeruari de-

bet cum spongia, vel saginali turunda, in reliquis conuenit cum infusione.

Quid seruandum sit in linimento. Cap. XV.

IN vsu balnei luti hæc duo examinanda principaliter occurrunt, primò quomodo linimentum hoc administrari debeat, deinde qua hora. Quicumque igitur vti voluerit hoc linimento animaduertere debet, quod præmissa consideratione qualitatis affectus,, & preparationibus solitis, pars affecta balneo Sanctę Mariæ disponenda est per sex, vel octo dies, & prosequendum deinde idem balneum mane, & sero (vt moris est balneari) & hora competenti administrari debet linimentum preparatum ex hoc luto animaduertendum præterea est in administratione, quod lutum hoc à fouea propria extractum primò in vmbra exiccari debet, & ita exiccatum postea teri, cribari, & vltimò cum aqua Sanctæ Mariæ reduci in formam linimenti, & ita preparatum super lesam partem subtiliter distendi, vt possit breui temporis spacio exiccari à sole, & in spacio duarum horarum reiterari sex, vel septem vicibus, quando autem emplastratio dicta est omnino exiccata, aqua dicti balnei pars illutata lauetur, & panno lineo exuccetur toties reiterando, quoties reiteratur linimentum. Hora tandem linimenti esse debet, quando sol magis viget, non enim in vsu linimenti respicitur concotio, vt in infusione, cum nō uereatur in hoc de accidentibus in ea propositis hora igitur erit à decima septima, uel octaua vsq; ad vigesimā, & solum pars affecta soli est exponenda, caputq; præcipuè à sole defendendū, & in parte affecta animaduertendū est, ne quid soli exponatur luto nō coopertū, uel pannis: quia à solis feruore maximè lęderetur; peracta autē vltima linitione diurna redeundū est statim ad balneum Sanctæ Mariæ, ibiq; permanendū vna hora, & in reliquis seruandus est, idē ordo infusionis. Non relinquā de hoc luto dicere, quod administrari etiā potest lutū extra propriū locū, & vice aquę Sanctæ Mariæ reduci potest in formā linimenti cū vino albo, vel lixiuio dulci, & lauari pars illutata cū eodē uino, & lixiuio; sed non administratur cū eo beneficio, quod cōfert in loco proprio. Vnde cōcludendū est pro epilogo totius operis, quod qui desiderat maiorem fructū ex his Thermis acquirere, ad eas accedere cōetur, & seruare quę hactenus dicta sunt: quia implorato prius Diuino auxilio, Dei paræq; Virginis, per ordinatā hanc administrationē perpauci discedent sine spe recuperandę salutis, quā vnicuiq; Deus cōcedat.

LAVS DEO.


Errata corrigito.

pag. 9.	quando	quod
	sic sæpe in sequenti intelligendum	
10	videstur	videtur
	nunque viderrũ.	numquã viderim.
	dantas	claritas
	antiquis	antiquius
	inayta	inclytæ
	suij	soli
	suqberat, & collecta fuit	
12	uentur quãdo	varietur quod
	inlepi dus	insi pidus
13	ferrum esse	ferream esse
	actum calidum	actu calida
14	quod potest	qui potest
	experint futtia	experientia fuit
15	Bernaoditi	Bernardini
	peruna	reddere
	discideret	discederet
16	licetiam	hic etiam
	vrea minora	ærea minera
	accessit	recessit
17	istemet	iste me
18	deniuare	deinde
	aduinare	adiuuare
	quicunque	quicquid
	ponte sulphureã	fronte sulphurearũ
	suqire	subire
19	propinquis	propinquius
	vera	vena
20	lapide	lapidicæ
	Snaria	Maria
	antiquibus	antiquitus
	pretentio	præteritis (diebus
21	vnũ, uel duos dies.	vno uel duobus
	potueri	potui
	quando pare	quod parum
	quinque	quam
22	ferminurit eũi vlba.	sunt enim alba

	soleuandum	soluendum
	adsorbitur	adscribitur
23	dolores	doloribus
	noctuq; factos	factis
24	dum puos	pus
	& tantum	& tutum
	visit	cum sit
	effusione	earumq; effusionẽ
	somis	Ioannis
	ad ex	ad hoc
	de Male soinis	de Malespinis
26	conteupit	contendit
	repactus	refractas
27	accidens	accedens
29	ab nmni	ab omni
33	ponec	donec
35	vasibus	casibus
	cuius	cuiuis
36	con	non
37	grauameri	grauamen
38	cum dirutum	iam dirutum
	nisiem	nisi in
39	conuductionem	coniunctionem
41	defluent	defluebat
42	frigipa	frigida
	alique	alia
45	prædicta	prgdita
	ludificationi	lubrificationi
47.	quia imo	quinimo
	possidant	possideant
	dui	qui
	redduit	reddit ut
49	neque	namque
	sui placiddm	cui
50	dicta	dicata
51	quasi	quam
52	pharmacorum	pharmacis
	contractum	contactum

55	ex ratione	ex retentione
59	posuit	possunt
60	eam	earum
	disipendi	disperdi
61	anc	ad
62	hot	hos
	fectibus	effectibus
	per	aer
63	balneum	balneis
65	poterne	potione
66	con transeat	non
68	balneor	bvlneorum
	in epotu	in potu
69	præsidie	præside
	consedatur	concedatur
71	concoctanis	concoctionis
74	inrdinate	inordinate
	epotu	potui
75	exonorare	exonerare
	exictatione	excitatione
	unus, piusque	vnusquisque
	ast	est
78	si	sic
	somues	somnus
	habitum	halitum
	tutum	totum
80	si canondum	si cauendum
	penetiare	penetrare.





KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967